63348/B
C
C
22
C.48

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

TODARO, J.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30550683

AQUÆ FRIGIDÆ
VINDICATIO,
ſeù
AQUÆ FRIGIDÆ VIRES
AD OMNES MORBOS
RECTA LANCE RELIBRATÆ,

ADVERSUS

HYDROSTATICAM MEDICAM

Editam Panormi anno 1721.

Ex Typographia Franciſci Amato.

Opus optatum

Authore

D. D. JACOBO TODARO

Panormitano

Presbytero, Medico Phyſico, Theologo, & Magnæ Conſororitatis S. Mariæ à Raccomandata Cappellano electo.

PANORMI, Typis Gaſparis Bayona, 1722.
Superiorum permiſſu.

Præclariſsimo Domino

V. J. D.

D. JOANNI MARIA

LA VALLE

Baroni S. Gandolphi &c.

D. D. D.

SAlebroſam hujuſce operis ſemitam veluti litatò aggreſſurus illud ſemper in votis habueram, ab inclyti alicujus Mæcenatis auſpiciis mihi proſperam apprecari, quò nec incurrentium

difficultatum ſcopulos ſecurus offenderem, nec latitantium ubique ſophiſmatum anfractibus implicarer. Hæc animo ſæpè volventi in mentem venit præclariſs. avunculus tuus D. GUTTERRA BARO DE LAVALLE, Nec alius certè occurrere poterat (dicam equidem, & ſi illius prologuii memor: nullius laudibus charthago creſcit, nec vituperatione minuitur) non alius, inquam, occurrere poterat, vel ingenii laude, ac philoſophica

patruus

eru-

eruditione præſtantior, quo veluti duce abditiora naturæ arcana pervaderem, vel animi comitate benignior, qui meam, meique laboris tenuitatem exciperet. Noverat quippe utriuſque militiæ, literariæ ſcilicet, & bellicæ, miles emeritus virtutis almæ tirones ad gloriæ apicem manuducere, & timētibus animos addere. Admiranda ſanè præpollentis ingenii dexteritas, qua emēſus ferè omnes ſtudiorum curriculos ſenectam emeri-

*tam in patriæ gloriam, il-
luſtriſſimæ Familiæ decus,
in bonorum omnium emolu-
mentum, non otio torpidam,
ſed juvenilibus laboribus
impigram exercebat, in tan-
tam ſpem animum, vireſque
meas erexerat, ut nil felicius
eventurum putarem, niſi
tanto ſub omine, nil tutius,
& immunius dicacium acu-
leos, adverſantiumque the-
la fore, ut evaderet, cui tan-
tum, tantique viri patroci-
nium præſtò eſſet. Sed ſi me
mea fefellit opinio (ea ſiqui-
dẽ*

*dem humanarum rerum viciſſitudo) dum iniqua mors virum optimum, bonis omnibus deſiderabilem fecit, haud tamen fefellit evẽtus, qui mei operis patrocinium haud ſpecioſo Patroni nomine, ſed virtute dimetiar. Id certè ſi apud te aſſequar, qui tanti *Avũculi ſicut in cæteris, ſic in virtute locupletior hæres extitis, ſalva res eſt. Superſtitẽ adhùc in te illius nobilitatem, magnanimitatẽ, doctrinam, ingenii comitatẽ imploro, quodque*

* Patru

in

in te uno miramur, dum inter juris dicendi conſultos inclytus laureatus mei operis themati ſimul & titulo apprimè arrides, id non caſu, ſed altioris mentis providentia contigiſſe dicendum eſt. Cujus enim ſi judicio ſiſtitur hæc Aquæ Frigidæ cauſa, patrocinio defenſabitur, niſi tuo, qui tam ſolidè, & ad ingenii menſuram doctiſſimè cauſas tractare noſti. Aquæ Frigidæ Vires Recta Lance Æquilibratas quinam ibit inficias, ſi tuo nomine glorien-

rientur, qui jus cuique ſuum, ut tribuatur labores impendis? Tua quippe ſolius intereſt omnium merita, viresque recta lance librare. Benignè excipias quæſo, quæ ad te confluunt aquas veluti ſpōte ſua, ſi ad virtutis oceanum. Hębraicę inſtar Piſcinæ aquam iſtam, quæ tibi ſiſtitur intuere: illâ ſi Angelus moveat ſanabitur quiſque à quacumque detineatur infirmitate. *Aquam iſtam, & tu moveas, tuo nomine moveas, obtutu moveas, & pa-*

trocinio, & ſaluberrima fiet. Valeas, atque iterum Valeas.

Obſequentiſs. Servus
D. D. Jacobus Todaro.

SCRIBENDI RATIO

PROEMIUM.

AD meas paucis ab hinc menſibus pervenit manus liber, cui titulus in fronte erat, & ſuperſcriptio: *Hydroſtatica medica, ſeu Aquæ Frigidæ vires in morboſis affectibus profligandis medica Statice ponderatæ.* Excutit in illo ſumma cum ſedulitate ſolers Author Aquæ Naturam, ejuſque vires ad morbos aliquos expugnandos, inſuperabiles; illam etiam, ut frigidam ponderando, morboſque omnes adverſuſquos arma capere poſſit Aqua, & quibus ejuſdem uſus non competat ſtudioſa aperit diligentia; verum, ut ego fatear, in hoc parvulo volumine, omni animo adhibito, ingenii acumen, ornatumque dicendi modum nimis celebrandum cognovi, & in paucis ejuſdem libri foliis abſconditum equidem inveni Doctrinarum theſaurum. Dignus propterea, ut celebri Author vivat laude, & præconia illa excipiat, quæ inter tot alios medicus quidam Urbis iſtius, ut non dicam totius Orbis, ſicut

eſt Urbis Prothomedicus facundæ celebris muneræ linguæ, in ſcribentis gloriam ſibi dum gratulatur evulgat, pace tamen hujus tanti viri, pendulam æquo diſcrimine, ſtaticam hanc manibus, dum tractabam, nimis propriæ Authoris paſſioni ſecundam, æquè ac contra pendentem inveni, Frigidam Aquam, tot, tantiſque morbis inutilem damnando, eamque in tot aliis acriter rejiciendo, in quibus frigidam tanquam univerſale, meo videri admittenda eſt amulethum. Hinc veri, & ego amicus, veritatis propugnator, atque detector ancipitem, & degenerem hanc lancem perfecto in æquilibrio firmare ad communem utilitatem ſincero corde decrevi: omni ergo, quò oportet ſtudio, prò ut viresque permittunt arcanam Aquæ Frigidæ virtutem etiam in morbis, à quibus hujus Hydroſtaticæ Scriptor illam relegat, & rationibus explanando, & firmis experimentis comprobando, ſic prima Exordia ſumo.

AQUÆ ANALYSIS.

ADmiſſa igitur, & ſuppoſita cum communi Doctorum voto Aquæ Naturæ, ejuſque Analyſi, ſcilicet quod Aqua ſit corpus ſimplex homogeniis, teretibus, ſeù cylin-

dri-

dricis, tenuibus, levigatiſque conſtans particulis, quarum ratione fluiditatem acquirit; & quia continuitatem ſuis in partibus non admittit, hinc eſt, quod niſi vaſorum lateribus detineatur, facile diffluat, quin immò à contrario irritata amicitiæ leges in ſuis particulis non ſervat, ità ut facilè à ſe mutuo diſſociatas amittat, ut patet in Aqua igne calefacta, quæ citò ſolvitur in vapores. Cum ſalibus autem cujuſcunque generis inimicitias non admittit, nam in ſuis porulis mole, & figura ſalibus congruis quaſi in ſinu eos recipit ad ſaturitatem uſque. Hinc fit ut exuberantium in corpore ſalium mitiget furorem, rigidas, & acres eorum particulas ſuis mollibus moleculis, ne adversùs microcoſmum ignem accendant, intertextas retinendo, & ſuo ſinu concluſas pacis homini nuncia per cutis porulos, vel per urinæ vias blandè expellit, & ut paucis cum Vvilliſio me expediam: *Aqua corpora ſimpliciora facile diſſolvit, excepto ſulphure, amicis ſalibus deficientibus, eorumque particulas poris, & meatibus ſuis detinet, ſales cujuſcunque generis promptè ſuſcipit, ſpiritus facilè imbibit, terræ compagem laxat, ejuſque tenuiora corpuſcula complexu ſuo fovet.* Vvilliſ.

Quò ad corpora compoſitiora, quorum compages eſt laxior, Aqua ea aliquatenus

ſubit, indeque particulas totius mixti naturam referentes in ſinum recipit ſuum ; unde vegetabilia , partes animalium, ex Regno minerali nonnulla Aquæ infuſa ipſam virtute quadam impregnant: immò cum metallis ipſis aliquod jus ſervat ; ex plurimis enim ipſorum longa maceratione vires quaſdam aſportat, & quod magis ad rem noſtram facit, & ab Aquæ hoſtibus notatu erit dignum , talia corpora diſſolvuntur ab Aqua, quæ tamen menſtrua ſulphurea, aut ſpirituoſa ferè intacta relinquunt, ut ſunt Gummi Tragacanthum, Arabicum, & Saccarum , teſtis eſt mihi cum experientia Vvilliſius lib. de Ferm. Cap. 9.

Vvilliſ.

His tanquam canes ad nilum ſimul cum Doctiſſimo Hidroſtaticæ Scriptore ſummis labiis delibatis , de Aqua ſecundum ſe ſumpta ; de Aqua ut frigida ſermonem facere , & ſtaticam æquilibrare opere pretium erit .

Rejicitur igitur in primis falſæ Staticæ aſſertum pag. 14. Frigus conſiſtere in impedito partium rapido, ac expanſivo motu, dum dicit frigoris affectionem è diametro oppoſitam eſſe calori , & conſequenter, ait, contrarios illis tribuendos eſſe effectus. Motus expanſivos rapidos caloris probans ex eo , quod corpora quæque celerrimè ſcindat , aperiat , ac in par-

partes divellat; Hos tamen motus à frigore prohiberi oſtendens eo, quod ſævientibus brumæ rigoribus omnia in motu torpeant: Sacchi verba adducens in nova Meth. ſect. 1. cap. 1. *Vegetabilia à ſuis functionibus ceſſant, & flores, & frondes vitali ſucco otiante profracta ignis actione deficiunt.* Addens ulterius expanſivam caloris vim frigore cohiberi, dum frigore vigente poruli conſtringantur, ac ſpirituum in partes exploſio, quodam modo ſufflaminetur. Sacchus

Sed rejicitur, ut dixi, falſum enim eſt frigus in impedito partium motu conſiſtere; Dic quæſo ſciſſuras in plantis, aut extremis Corporis partibus, quas frigoris occaſione conſpicimus hyemali tempore, tu ipſe fateris pag. 16. fieri, eo quod ſanguineis vaſculis à frigore corrugatis, & ab influente ſpiritu impulſis vaſa infringuntur; Si ſpiritus ergo frigus impellit quomodo, amice ſcriptor, in impedito partium motu frigus conſiſtit? à ſpiritus enim impulſione partes magis expanſivè, rapidè & oſcillando moveri mihi negare quis audet? Undè Hyppocrates primum medicinæ lumen & ultimum de uſu liqu. hæc habet: *Multæ frigidæ aquæ effuſio caloris revocationem facit, calor autem hæc ſolvit &c.* Hypp.

Unde falſum oſtenditur eſſe illud, quod

ab-

abſolutè in hoc libro profertur: frigori, & calori, utpotè contrariis contrarios ſemper eſſe tribuendos effectus: mira ſanè res eſt, in noſtra ergo poteſtate erit rebus naturalibus effectus tribuere? Cæterum proprius caloris effectus, licèt per ſe ſit corpora rarefacere, ſcindere, ut dicis, aperire, divellere: experientia tamen Magiſtra, quam medica hæc ſtatica negare non poterit, conſtat, quod nimia rarefactio, calidiſſima alimenta, motus immodicus, adhæſus corporis calidiſſimi, nimius coitus, nimiæ vigiliæ, & immoderatæ animi paſſiones, à quibus tamquam à locis indicantibus refrigerationem, & varias pituitoſorum ſucorum differentias colligimus, hæc omnia mirum quantum licet per accidens refrigerent, calor enim ob poros nimium apertos detineri non poteſt, quare quantò magis erunt aperti, tanto frigidior pituita fiet. Hinc alimenta etiam calidiſſima reſolvendo refrigerant, unde Gal. 6. Aphor. 28. de vino potente Galenus. loquens, ait: *Multa, & potentia vina præcipuè jejuno ſtomaco percutiunt ſubſtantiam nervoſam, ejus robur reſolvendo. Itidem vigiliæ, animi paſſiones, nimius coitus, quæ ad immoderatum motum referuntur enervant proprium calorem, & partem relinquunt frigidam, quia reſolvunt ſpiritus, & calorem.* Jure igitur meritò

tò calida omnia inter ea, quæ refrigerent reſolvendo numeravit Sanctorius in celeberrimo ſuo tractatu de Meth. vitandi errores in humoribus peccantibus perquirendis. Et Hyppocrates lib. 6. de morb. popul. hæc habet: *Calido corpori id quod comedit frigiditas eſt.* Et lib. de dieta de Balneis loquens: *Calida autem balnea jejunum attenuant, ac frigefaciunt.* Sanct. Hypp. Idem.

Ad illud nunc reſpondeo, quod legi, nempè quod nivoſa hiems terræ fœcunditatem promittat, dum nitroſo ſpiritu nivis maximæ ad fertilitatem conducente terra perfunditur, & quod nive, & frigore corpora à putreſcentia vindicentur: Dico enim quod quantò frigidior erit hyems, tanto magis calor in interioribus terræ viſceribus fovetur, ut patet in aquis putealibus, quæ hyberno tempore caleſcunt: hinc fit, quod Vere adventante à ſolis calore externum frigus debellatum & calor in terræ viſceribus captivus arma capiens ab extrinſeco adjutus, & liber, ipſius terræ ſinum impetu ſuo activo, tot floribus, tot frondibus, tot arboribus undique replet, exornatque: Quod ſi hyemali tempore hoc non obſervas, contra Solem arma cape, defectu cujus ob diſtantiam, quam facit à terra, calor licèt irritatus, & minas faciens, in ſinu terræ remanet adſtrictus: undè verum eſt, quod nive in humi

mi ſuperficie remanente, hæc omnia calor agere, licèt conſervatus, non poſſit: Hinc in noſtra praxi aquæ frigidæ obſervatur, quod nive, ejuſque frigore in extremis corporis partibus perſiſtente, & aqua frigida in internas agente, calor explodi non poteſt; undè tunc magnum perſentitur frigus, ſed in hoc nivis, & aquæ nivatæ praxis conſiſtit in morbis curandis, nimirum nivem ità apponere, aquam taliter dare, tanto temporis intervallo, tali horarum ſpatio, & quantitate, ut calor deinde cohibitus, ſed non ſufflamminatus, majori impetu, & exploſione agat, ſicque viſcida, lenta, vitrea, craſſa omnia vincat, ſuperet, attenuet, expellet.

Quam benè ſupradicta confirmat illud ſenis divini nunquam à memoria delendum aſ-
Hypp. ſertum: *Conſiderandum, quod poſt calidum frigeſcit corpus magis perfrigeratum, poſt frigidum verò recaleſcit magis contrarium*. lib. de uſu liq.

Frigoris ergo viribus relatè ad noſtrum corpus libratis, & perpenſis. Rejicitur ſecundo, damnabilis illa ſententia, quam adverſus frigidam enunciat degener hæc ſtatica, ſcilicet aliquibus præſertim partibus peculiarem inferre noxam, ſcilicet nervoſis partibus; Pectori, oſſibus, cerebro, ſpinali medullæ &c. fundatus author in hac ratione, quod hæ partes pau-

cula

cuia vitali flammula in ſanguine nidulante inbibantur, ideoque non adeo frigoris viribus obnituntur, ut legi pag. 16. Et ne in nugis prolixiùs me retineam, ac in omnibus corrigam ſtaticam, quidquid adverſus maximum morborum remedium, Aquam dico, contumeliæ profers, omnium ante oculos exponam, ut deinde rationum, experientiæ, & auctoritatis pondere reſtitutum ſtaticæ equilibrium oſtendam.

Admittit igitur hujus dictæ ſtaticæ author Aquæ Frigidæ uſum in morbis pendentibus à fluidorum diatheſi ſalinoſulphurea, & volatili, ſeu principiis magis activis referta, quæità in efferatos orgaſmos, atque inrapidos, & expanſivos motus inſurgit, ut volatiliores fluidorum particulæ quodammodo ſui juris factæ immodicas effervefcentias, ac proinde ſitim, ac æſtuantem calorem progignant; Eliminandus autem eſt ipſius aquæ uſus, ut noxius, & funeſtus (dicit) in morbis à contraria fluidorum craſi emanantibus, atque aqueis, terreis, acidofixis, & ſulphureocraſſis particulis exuberantibus. Fundatur autem hac in ratione, quod in tali ſanguinis diatheſi frigoris vi liquidorum, ſolidorumque compago coarctatur, frigus enim volatilium principiorum, ac ſpirituum expanſioni obſiſtit, quorum ſuffo-

 catio-

catione ſolida, & fluida collabuntur, quin, & ipſa vita excitantis flammulæ fracta energia, ad extremam ſortem perducitur. Hæc ſunt ipſa authoris verba pag. 37. & 38. impreſſa, & relata.

Et in hac ratione confiſus; ſtante tali ſanguinis diatheſi craſſa, fixa, acida, &c. Aquæ Frigidæ uſum negat in convulſionibus, & aliis nervornm affectionibus, & in febribus omnibus, ſi ad ardentis indolem non accedant, in hectica confirmata, inconfirmatis inflammationibus, qua talibus, timens in his à frigore cancrenam, aut Sphacelum, in hydrope, ſcirro, & cæteris hujuſmodi obſtructionibus: timet enim impeditum aquæ tranſitum in viſceribus, Poetæ effatum adducens *Quod capiant vitium ni moveantur aquæ*: in affectionibus hiſtericis, hyppocondriacis, ſcorbuticis, admittens in his uſum ſeri, methodo aquarum thermalium ſumpti, in lue ſyphillica, in ictero flavo à bile viſcida & amurcoſa, in doloribus cum inflammatione, in nephriticis, in ulceribus, &c.

Mortuos nunc ego, ſi Ezechielis vocem haberem, ad vitam revocarem, & ad veritatem, expoſitæ Doctrinæ fatendam ipſos adſtringerem: vos appello, qui quaſi vulnerati dormientes eſtis in ſepulchris, eja dicite, quæ vos

reme-

remedia ad ſuperos miſerunt, qualis fuit ille ſyrupus, qualis ille pulvis, quales ſales, qualia extracta, condita, Magiſteria quæ mortis imperio ſubjectos vos donarunt? ſi vos Aqua Frigida rectè, tempeſtivo tempore, juſta methodo, ſtatutis horis, debita menſura occidit; dicite, reſpondete; & an major ſit veſtrum numerus vulgaribus remediis adauctus illo, quem Aqua Frigida ſignavit, exponite. Unum ſcio, & contra Garrulos aquæ inimicos dicere non erubeſco, qui Frigidam Aquam tali debita methodo ſumpſere, etiam in morbis chronicis, & omni curatione deſperatis, vel omninò curati remanſere, vel ſaltem nil damni retulere; & ſi ad mortem proximos invenit eos aqua, vitam longiùs protraxerunt; experimenti exempla ſi adducerem mens deficeret, & calamus. Unus præ cæteris eſſet Anteſignanus Medicinæ etiam Profeſſor egregius, qui in noſtro Panormitano Xenodochio nunc practicantis exercet officium: ipſe enim febre maligna correptus de genere coagulativarum cum eſſet à Medicis deſtitutus, immò deſperatus, unius parentis conſilio frigida à manu practica porrecta, & epota deſperatam recuperavit vitam. Quid mirum poſtea, ſi recta non ſervata methodo, malum aliquod paſſi multi fuere, vel ex fructuum

 ho-

horariorum comeſtione, vel dulcium, & ſaccharatorum deglutitione, vel alterius, quod tibi communicare, mihi non dum eſt permiſſum. Certò tamen ſcias, amice ſtaticæ Scriptor, ſi juſtam aquæ methodum ſcirent, & ea adminiſtrandi arte pollerent, qua opus eſſet, tot contumelias adverſus hujus methodi, & ſcientiæ Magiſtros, ſapientes (ut benè loquar) non proferrent, notum tibi ſit Magnum eſſe arcanum, Grande remedium, Maximum medicamen, Maximam exigere cautionem.

UNICA ANIMADVERSIO.

AD morborum curationem, quos per Aquam Frigidam incurabiles aſſeris; nunc ego attentum te volo. Recordare autem primo, Staticam hanc ſemetipſam contradicentem inveniſſe. Pag. 22. amice, cum audiſſes Magnum Hyppocratem Tetanum ſine ulcere frigidæ ſuperfuſione curaſſe, fateris, verum eſſe hoc, aliquando juxtà Hyppocratis dictum, & aſſignas rationem, quia ex frigidæ perfuſione ſpirituoſæ particulæ ad interiora revocatæ, ac in unum conglomeratæ majorem adeptæ vim morbi cauſam hærentem in muſculis ex accidenti diſcuſſerint. Riſum nunc certè excutis, & Cachinnos, falſum

nam-

namque erit quòd dixiſti, aquam ſenſibilis frigoris armis inſtructam ad majorem partium coheſionem fluida cogere, ac proinde alkali volatilis diſſolventis particulas, ſiquæ fuerint, inertes, & viſcidorum elementorum compedibus irretitas magis, magiſque implicare, ut ipſe conſtanter pag. 22. aſſeruiſti.

STATUITUR NOSTRA CONCLUSIO.

SEd ad arcem ad quam Hoſtes vocaveram redeamus. Dico igitur in omnibus morbis cujuſcunque partis, *excepta vaſorum ruptione, aut aliquo deſperato prorſus morbo*, ſive dependentibus à fluidorum Diatheſi ſalinoſulphurea, & volatili, in qua volatiliores fluidorum particulæ ſui juris factæ efferatos cauſant orgaſmos, ac proindè immodicas progignunt afferveſcentias, ac æſtuantem calorem. Sivè à contraria fluidorum craſi emanantibus, atque aqueis, terreis, acidofixis, & ſulphureocraſſis particulis exuberantibus adhiberi poteſt tutiſſimè Aquæ Frigidæ expertum remedium.

Concluſio, quò ad primam partem à nemine controvertitur, ut legenti libros patebit, eſtque Authoris prima, ultimaque ſententia.

Quò ad ſecundam partem, quæ inſanæ men-

mentis ludibrium à falſidica libra vocatur, ſic ſanæ mentis Conſilio probatione progreditur.

Maxima Scribentis repugnantia in hoc unico argumento firmatur; quia innata frigoris vis liquidorum, ſolidorumque compagem coarctat: frigus enim volatilium principiorum, ac ſpirituum expanſioni obſiſtit, quorum ſuffocatione ſolida, & fluida collabuntur, quin & ipſa vita excitantis flammulæ fracta energia ad extremam ſortem perducitur, ut legitur loc. cit. pag. 37. & 38. atqui hoc eſt falſum: fictitia ergo inanis, & omninò ridicula erit allata, & deſcripta repugnantia. Minorem argumenti præmiſſam, quæ tibi inſania videtur, mecum ſic probat, ſtaticam tuam æquilibrando, celeberrimus medicinæ Magiſter Sanctorius Sanctorius lib. 15. pag. 593.
Sanct. his verbis: *Aqua unit calorem debilem, & ferè extinctum, & ſimul tollit ſiccitatem congelationis, qua amota, promptè nativus calor fovetur ab influente, et ſic non extinguitur, ſed potiùs augetur*. Et ſimiliter pag. 590. de indic. æquilibrio: *Aquæ frigiditas revocat in internas partes calorem, qui deinde meliùs humores frigidos diſcutit.*

Audiſti? tuis ipſis verbis, quibus influentis ſpiritus impulſionem à frigida cauſatam pag.

16.

16. admiſiſti loquitur hìc Sanctorius. Hoc quoque eſt argumentum, quod ab egregio illo aquam practicante in M. S. adducitur: *La ſua freddezza cagiona movimento, il moto calore, il calore ſpirito, lo ſpirito dà la vita*, & eſt conforme illis divini Senis aſſertis lib. de liquid. uſu loquentis de diſtentione antè, & retrò: *Multæ frigidæ aquæ effuſio caloris revocationem facit, calor autem hæc ſolvit*. Et eodem libro: *Poſt frigidum recaleſcit magis contrarium*. Hypp.

Quid mirum ergo erit ſi acidofixi, & ſulphureocraſſi humores ab impulſu ſpirituum, & à calore frigoris virtute adaucto ſolvantur, attenuentur? Modernum audi Hyppocratem Vvilliſium de Aqua loquentem: *Quæ fixioris ſunt Naturæ ferè intacta relinquit, varii autem excogitantur modi, quibus menſtruum aquæ acuitur, & quibuſvis corporibus diſſolvendis idoneum redditur*. Menſtruum Aquæ vim acuens ſi quæras ſal ille, dicam, nitroſus eſt, qui in nive reperiri à te ipſo pag. 15. conceditur, hoc deducens, ex eo quod ſi vas aqua plenum in nitro infundatur, illa frigeſcit, teſte Nonnio de re cibar. lib. 4. Monardes lib. de nive, & aliis à te ipſo una cum experimento Doctiſſimi Baglivi citatis. Vvilliſ.

Quod autem menſtruum hoc aquæ vires

ità adaugeat, ut ad morbos ab acidofixis, ſulphureocraſſis, & pituitoſis humoribus manantibus potentiſſimè fugandos inſurgat, ex eodem Vvilliſio deducas: *Corpora quædam diſſolvuntur, ab aqua, quæ tamen menſtrua, vel ſulphurea, vel ſpirituoſa intacta relinquunt, ut ſunt Gummi tragacanthum, Arabicum, &c. item ſal, & ſaccarum*. Sed quid tragacantho, & arabico craſſius, viſcidius, tenacius? & tamen tenacitatis ſuæ audaciam Aqua per ſolutionem infringit, quid aget ergo in humano corpore impulſorum ſpirituum adjuta conſortio?

RESPONDETUR OBJECTIONIBUS.

AVdias nunc inſignem in Arte medica errorem à Sanctorio notatum, & ut nugoſum me non credas ipſa ejuſdem Doctoris verba ante oculos exponere non indi-
Sanct. gnor: *Vaniſſimi ſunt, qui quotidiè ſine ullo indicantium æquilibrio dicunt intemperies frigida indicat calefaciendum, materia craſſa incidendum, viſcida detergendum, copioſa evacuandum, petens partem principem avertendum, pars viribus deſtituta roborandum, non perfectè ſcientes, cui primo, cui ſecundo loco ſit vacandum*.

Amici Lectores, amabo vos, ſi rectè cum

San-

Sanctorio Sanctorio contra hidroſtaticam invertor, attendite, & præcipuè contra illa, quæ pag. 16. audactèr protulit, ſcilicet peculiarem inferre noxam nervoſis partibus, & exanguibus, ut oſſibus, cerebro, ſpinali medullæ, &c. timet enim minutiſſimis verbis, ut ſupra dixi, *paucul æ vitalis flammulæ* in ſanguine nidulantis extinctionem. Quæſo nunc, Ego, Vos ut citatum Sanctorium audiatis de pedum refrigeratione, ab extrema ſanguinis congelatione, quæ ferè in moribundis obſervatur loquentem, & Judices eſtote, ſi frigori tam infamis nota dari ſic prolixè debuerit; oſtendit ergo ibi Doctor in ſuo æquilibrio, quod paucula vitalis flammula in ſanguine nidulans a calidis potiùs extinguatur, à frigida verò magis, magiſque foveatur: *In preſenti caſu*, ait: *Pedes ut frigidi indicant eſſe calefaciendos, ut viribus deſtituti cuſtodiendos, cui nunc dubium, quod in primis eſt attendendum vitæ partis, deindè cauſæ? qui enim ſecùs efficeret incideret in illum ſermonem* à Galeno citatum 2. ad Glave 2. (*Morbus eſt ſanatus, homo autem periit.*) *Qui igitur priùs attendunt urgenti, quique congelationem pedum ſciunt ſanare curant, ut vita pedum conſervetur hoc modo, jubent, ut immergantur in Aquam frigidam, vel recenter à fonte bauſtam, detineanturque horæ ſpatio, ſic certo ſa-*

Sanct. Galen.

nantur, quem curandi modum multoties in Hungaria vidi. Ratio ſanationis eſt, quia Aqua unit calorem debilem ferè extinctum, tollit ſiccitatem congelationis, qua Amota, promptè nativus calor fovetur ab influente, & ſic non extinguitur, ſed potius augetur; legite ſupra allatas rationes.

Dicam ergo ſi perexigua ſanguinis quantitas medullarem cerebri ſubſtantiam irrigat, quod equidem Vvilliſio teſte de cerebri Anathomæ cap. 10. Caloris excitandi gratia fieri videtur, & calor iſte ab aliquo ſui contrario inſidias experiatur; quid facilior erit eo, quod nive plantis pedum, vel ſincipiti, vel propè occiput ſuperimpoſita, pro ut praxis docebit, calorem illum debilem unire, & fovere. Et favet Hyppocrates lib. 2. de Dieta Balnea calida contradicens: *Balnea autem frigida, vacuo quidem corpore præbent quamdam caliditatem*. Et in praxi ego met ſepiùs obſervavi, quod febricitantibus aceeſſionis tempore paroxiſmo adventante, comate, vel comatoſo affectu tentatis nive fronti, & occipiti appoſita ſtatim, & illicò ſimptoma diſparuit ægro perfectè diſcurrente.

Placet hic unum obiter notare, ut oſtendam frigidam capiti haud eſſe inimicam, eſtque admiranda magni Vvilliſii auctoritas à Joanne Dolæo lib. de Caphalalgia fol. 9.

En-

Encicopediæ relata: *Embrocationem, aut immerſionem capitis in Aquam Frigidam ſepiùs juvare, dicit, quo remedio Sereniſſimus Dominus Elector Palatinus Carolus Ludovicus nunc ad ſuperos delatus, & cælo adſcriptus Dominus meus Clementiſſimus ſepiùs dum viveret feliciter uſus eſt*; loquitur hìc Doctor iſte de univerſali Cephalalgia.

Dices cum Philoſophorum Chorypheo Ariſtotile: *Quæ congelantur à frigido, liqueſiunt à calido.* Glacies enim à frigido congelatur, & à calido diſſolvitur, oleum incraſſatur à frigido, & liquefit à calido; ſimiliter pix, cera, metalla, &c. quæ à frigido denſantur, à calido liquefiunt, ergo &c. Ariſt.

Reſpondeo cum eodem Sanctorio, argumentum eſſe merè philoſophicum, non autem medicum; nullam enim dicit relationem ad ſanitatem. Philoſophi enim non curant an indè ſanitas, vel partis mors ſequatur, quod curari debet à Medico: ſi enim calor externus non deſtrueret partem, bonum eſſet congelatos calefacere, ut liqueſcant, ſed cum pars vivens hoc modo deſtruatur, Medicus id reſpuere omnino debet: Philoſophus namque veritatem, Medicus ſanitatem inquirit. Sanct.

Cæterum Ariſtotelem conciliando cum diſtinctione reſpondeo, quæ congelantur à fri-

gido, & ſicco, vel ſummè congelantur, ut cryſtallus, vel Remiſsè? Si primum; concedo ſolum diſſolvi à vehementiſſimo calore, ut accidit defacto in cryſtallo, lapidibus, &c. ſi ſecundum, ſcilicet ſi Remiſsè congelentur, dico quòd diſſolvuntur tam à calido humido actu, tam ab humido frigido; ſed cum hoc magno, & notabili diſcrimine, quod ſcilicet frigidum humidum actu diſſolvit, ſed non conſumit; patet hoc experientia ſequenti. Si glacies in Aquam Frigidam injiciatur, diſſolvitur quidem, ſed non conſumitur. Si verò in aquam calidam, vel in ignem mittetur, & diſſolvitur, & conſumitur, & in vapores abit, hinc fit, & ratione quidem, quod quibus pars aliqua congeletur aqua calida, vel calido igneo, *ut ſunt frictiones dolorificæ ſinapiſmata, veſicantia, &c.* pars congelata conſumitur, & perit. Si verò in Aquam Frigidam immergatur, vel nive nutriatur, diſſolvitur congelatio, & pars non perit: Aqua enim Frigida, ut dixi, unit, & fovet calorem debilem, &c.

Neque dicas Humidum non diſſolvere frigidum congelatum, quia non eſt ejus contrarium.

Galen. Reſpondeo cum Galeno 1. ſimpl. medic. facult. congelari idem eſſe, ac præ frigore dureſcere; omnis enim congelatio ſua ſiccita-

te lædit, ſed dura redduntur mollia ſuo contrario, ergo frigida congelata humiditate diſſolvuntur: humiditas enim contraria eſt duritiei, & ſiccitati. Mirum ergo eſſe non debet ſi frigidum congelatum ab humido diſſolvatur, & conſequenter benè poterit pars congelata dura à ſiccitate facta frigida humiditate mollior reddi, quæ ex Hyppocrate in Aqua invenitur etiam pura, ut ait lib. de diet. 1. *Aquæ adeſt frigiditas, & humiditas.* Hoc videmus in aqua pluviali montium nivem diſſolvente, & ſic etiam robur ſemivivæ partis nativum ab influente ſpiritu partem molliorem inveniente poteſt commodè refocillari, apteque nutriri, ut benè diſcurrit Sanctor. part. cit.

O quàm benè prædicta firmat Ferdinandus Carolus Veinhart lib. 12. de affect. part. extern. ubi loquens de curatione Pernionum, (quos nos Siculi vocamus *Roſuli*) ſic ait: *Curatio fit primò partem infrigeratam nive fricando, vel Aquæ Gelidæ immergendo ad normam incolarum regionum ſeptemtrionalium, qui ubi iter fecerunt non ingrediuntur hypocauſtum, vel ad ignem accedunt, niſi prius naſum, manus, & extremas auriculas nive benè perfricuerint, aut membra propè congelata Aquæ Frigidæ, aut nivi immerſerint.* Et hac ratione motus, ut credo,

do, novus totius Medicinæ per Aquam Frigidam Inſtaurator in M. S. ait: *Se habij paſſato per qualche luogo in giorno di gran Neve, e dove facci molto freddo, e perciò ti par che voleſſi eſalare l'anima, ſarà tuo efficace remedio per ritornare ad haver calore una gran bevuta d'acqua fredda, la freddezza della quale muove l'officina degl'elementi, e con ritornare il moto, ritorna anche il calore, e con queſto lo ſpirito cagion della vita.*

PRO CURATIONE CONVULSIONUM.

SEd exangui nervorum Clypeo munitum adverſus frigidæ ſpicula inſurgentem, te video, quibus peculiarem inferre noxam judicaſti.

Facta tamen convulſi hominis hypotheſi cujuſcumque ætatis ille ſit, & temperamenti, ſic rationum thelis expoliatum, & inermem te aggredior. Convulſio alia ab inanitione fit, ut eſt illa, quæ poſt ingentem accidit calorem, fluxum, vigilias, &c. quæ aliquando ſimplicis roris conſumptione manifeſtam ſe facit, aliquando cum abſumptione nervoſæ ſubſtantiæ, ut in primo hæcticæ gradu apparet. Altera fit ex repletione, & præcedenti Patognomonico ſanitatis ſigno revelatur, nul-

la enim apparente, accidit,ab extrinſeco cauſa; unde ait Gal. 2. Aphor. 29. *Sanus homo convellitur, eſt ex repletione*. De prima, in qua ſiccitas dominatur nervorum frigidæ uſus rectè adminiſtratus ad ſalia acria furentia, &c. corrigenda, & emendanda controverti non poteſt, *ut fateris pag.* 17. adde quod à communi Doctorum praxi nonniſi humectantibus curatio abſolvitur, teſte Doctiſſimo in ſua Theoria Magiſtro meo Doctore *D. Ioſepho lo Brutto* in Aureis ſuæ Hippocratico-Chimicæ Med. M. S. ad quæ ſæpius legenda ſtudii amore excellentiſſimi Scriptoris gratia me invitat.

Circa ſecundam convulſionis differentiam, in qua craſſus humor, aliqualem habens acrimoniam, peccare videtur, lege Galenum 5 Aphor. 21. oſtendentem juvenem convulſum Aquæ Frigidæ perfuſione curatum, rationem ſi deſideras Sanctorium lege p. 590. tit. 5. cit. *Aquæ frigiditas revocat ad internas partes calorem, qui deinde melius diſcutit frigidos humores in nervis inſertos &c.* Jure igitur meritò antiquis Græcis hoc remedium Vulgare fuiſſe teſtatur cum Paulo Sanctorius ipſe loco citato.

Ne tamen paucis te expeditum verbis credas memorandam Doctrinam ex Galeno 2.

Aphor.

Aphor. 29. deſumptam contemnere non audeas. Pituitoſi, & craſſi humores duplicis ſunt Naturæ, alii Alimentales, alii Crudi, vitrei, & ad nutritionem inepti. Verùm enim verò febrem, & alia calida convulſionibus ab humoribus glutinoſis, frigidis, ſed alimentalibus; qui ſint tamen acrimonia præditis obſtare communis eſt cum Hyppocrate Doctorum opinio. Tales enim humores calidorum virtute liqueſcunt, attenuantur, & partim per ſudorem eliminantur, partim in vapores, partim verò in aliti abeunt ſubſtantiam; Crudi verò humores vitrei, craſſi, & ad nutritionem inepti calorificis remediis expugnati, fortiores facti in tophos, & in ſcyrros convertuntur, acidum enim eorum fabrum abſorbendo, ut cum Tachenio loquar, in lapideam duritiem eos cogunt: rationem ulteriorem ſi optas Galenum Conſule. Magiſtrum enim te exiſtimo, non diſcipulum. Vnum tantum ut animadvertas volo, victoriam ante triumphum ne canas, ſi humores frigidos alimentales calidorum uſu liqueſcere, & fundi Galeni verbis à me allatis audiſti: Tutiorem tamen ſcias curationem frigidis his humoribus prædominantibus, uſu Aquæ Frigidæ te perficere; ſæpè enim accidit, *quod pro utraque convulſionis ſpecie faciet*, ut in hujuſmodi

modi convulſis virtus nervorum adeò ſit imbecillis, ut magis ad ſui cuſtodiam, quam ad limphæ craſſioris ablationem attendere deberes: hinc calida, quæ ſua natura humorem alimentalem digerere poſſunt, quia debiles nervos inveniunt, in deteriorem conditionem humorem illum reducerent: calor enim teſte Hyppocrate de Dieta: *Conſumit humorem intus exiſtentem.* Et rurſus eodem loco clariori locutus forma ait: *Rurſus enim caliditatis exceſſus, eadem congelat, tantum ut diffundi nequeant.* Unde lib. de uſu liquid. habet: *Pedes deciderunt perfrigerati ex calidæ aquæ perfuſione.* Et iterùm: *Calida quidem amplius ea utentibus has læſiones inducit carnium effeminationem, nervorum debilitatem, mentis ſtuporem, ſanguinis eruptiones, animi deliquia, hæc ad mortem.* Et lib. de Dieta 2. *Calida per caliditatem humiditatem è corpore auferunt, & corpus perfrigeratur.* Unde Galenus ejus dicta ſecutus 5. aph. 20. hæc habet: *Hujuſmodi calida reſolvere ſubſtantiam nervoſam, & ſæpiſſimè experientia nos docuit convulſos ex repletione frigidorum humorum uſu calidorum morte fuiſſe peremptos.* Audiſtis? Patientiam habete in me, & omnia reddam vobis amici Lectores.

Obſtat ergo Staticæ ex dictis, quod aſſerit Cous Doctor 5. Aph. 21. ab ipſa pag. 22. relatus,

 ſci-

ſcilicet Tetanum ſine ulcère in juvene carnoſo, æſtate media, multa frigidæ perfuſione *quandoque* curatum: hæc enim ipſa fatetur, rationem à Sanctorio Sanctorio ſupra allatam his verbis: *Factum hinc eſt ut frigidæ perfuſione ſpirituoſæ particulæ ad interiora revocatæ, ac in unum conglomeratæ, majorem adeptæ vim morbi cauſam hærentem in muſculis ex accidenti diſcuſſerint.* Tua hæc ſunt verba. Jam ergo fundamentalem rationem, in qua totum curationis ſiſtema per Aquam Frigidam conſiſtit admittis: in hoc enim noſtrum fundatur Aquæ opus: *Frigidum cauſat*, (licet per accidens) *motum, motus calorem, calor ſpiritus, ſpiritus autem dat vitam.*

Neque dicas curationem iſtam ex accidenti, ut aſſeris, ſecutam eſſe, non autem per ſe, ut per illam Hyppocratis particulam, *quandoque*, vel *aliquando* vanè ſomniarunt nonnulli.

Reſpondeo enim de Curatione locutum eſſe Hyppocratem convulſionis ſine ulcere, quæ non ſemper accidit, ſed *quandoque*: dicerem inſuper ideò particulam illam *quandoque* à divino Sene adjungi, quia multoties externa frigidæ Aquæ effuſio convulſionem iſtam non curat: requiritur enim ad humores illos movendos, & ſic attenuandos, calorem augendum, ſpirituſque explodendos, ut Frigida

Aqua

Aqua intrinſecùs ſumatur, & debita quantitate ſit epota; ſicque humores in nervis inſertos fortitèr diſcutiet, & ſpirituum virtute illos attenuabit, expelletque, atque hæc eſt genuina uſum Aquæ veri Practicantis reſponſio.

Adde quod Hyppocrates abſolutè, ſi frigida recta adminiſtretur methodo in convulſionibus hiſce ipſius uſum *abſolutè* admittere videtur, ſua ipſius verba, quibus in multis morbis frigidam admittit, fideliter hic referam De uſu liquid. *Tumores in articulis, dolores ſine ulcere, ac podagricos, & convulſa plurimas ex his frigida multa affuſa levat, ac extenuat, & dolores torpefacit, torpor autem moderatus dolorem ſolvit.*

Dicendum mihi ſolummodo pro coronide remanet frigidæ uſum eliminandum in omni convulſione non eſſe, etiam ſi cum omni modernorum cætu in ſola irritatione nervorum partium ejus cauſam ſtatuat Vvilliſius: ſemper enim hæc ad acres illos humores, qui tenues ſint, vel craſſi diluendos, vel corrigendos, attenuandos ſuas acuet vires, ut hactenus probavi; Cæterum ſi ab ictu, morſu venenato, & alio ab extrinſeco adveniente, convulſio fiat, prudentis Medici relinquo conſilio juxta prædicta.

PRO CURATIONE LVMBRICORVM.

De Lumbricis tamen, qui ſæpiùs convulſivos cauſare ſolent motus generali regula pro quocumque effectu morboſo ab ipſis genito dicam; Eos à nimia ciborum, carnium præſertim, fructuumque horariorum ingurgitatione dependere, ait Sylvius; quapropter Frigidæ Aquæ uſus valde ad hos expellendos eſt commendandus: in admiranda enim frigidæ praxi non aliud tam ſeverè obſervatur, quam perfecta quorumcumque ſive potabilium, ſive comeſtibilium, fructuum præſertim, & ſaccharatorum inedia tot dierum ſpatio imperata prout prudenti Medico videbitur. Hinc hac arctiſſima praxi humoribus hiſce putridis acribus foras eliminatis, vel dilutis, & eorum acrimonia retuſa, pabulo lubricorum deficiente ipſos, vel per vomitum, vel per ſeceſſum, qua data porta ruere ſæpiſſimè in multis ægrotis hanc aquam potantibus obſervavimus, teſte præter alios innumerabiles in meipſo experientia, qui ad convulſivum ventriculi motum extirpandum debita methodo quinque dierum ſpatio frigidam bibens ſecundo à potu die excreta bilis vitellinæ quantitate lumbricos hoſtes per ſeceſſum expulſos ſoliùs frigidæ armis lætus obſervavi.

PRO CVRATIONE APOPLEXIÆ, Et aliorum capitis morborum.

QVid dices nunc ſi his præhabitis ad Apoplexiam jamjam irruentem Aquæ Frigidæ, & ab intrinſeco, & ab extrinſeco admotæ, vel nivi, ut opus erit, arma præberem? Coctam cambrem recoquere, ut verum fatear, neſcio. Supra allatas rationes, & auctoritates recta lance perpendas, certè qui Philoſophia pollet, ut puto, infallibilem conſequentiam deducere ſciet. Quæ enim remedia in Apoplexia curanda deſideras? non alia cum omni modernorum cætu reſpondes, niſi primo, quæ ad cauſarum ablationem faciunt, quæ ſi Doctiſſimo Vuechfero cum Vvilliſio credamus duobus fieri poteſt modis, vel ſanguinis per arterias ad cerebrum affluxum reſtituendo, vel ſpiritibus animalibus à cerebro, & cerebello viam per nervos, & ſpinalem medullam aperiendo: quod ſi vaſorum ruptio accidat (ut in aliquibus apoplexia mortuis obſervavit anathome) de hac non tracto: vaſa enim agglutinare neſcit omnino, tam ſubitò Aqua Frigida; (hinc hydropem cum ruptione vaſorum limphaticorum, Aneuriſma, & cætera hujuſmodi nos facile curare ſi credas, certè ſomniaris) Cauſa autem ſupradicti mor-

morbi efficiens eſt ſuccus pituitoſus, craſſus, lymphaticus, aut ſpiritus torpens, & condenſas: Poſito ergo, quod aqua, juxta prædicta Galeni, & Sanctorii Sanctorii rationem unit calorem debilem, & ferè extinctum, & tollit ſiccitatem congelationis, qua amota, nativus calor fovetur ab influente; poſito, quod ejus Frigiditas motum cauſat; calorem, & ſpiritus auget, benè poterit hujuſmodi affectus Frigida curari. Frigiditate enim Aquæ revocatur ad internas partes calor, qui deinde, ut ſupra dixi, meliùs diſcutit frigidos in corpore humores. Et Tu ipſe, ſi memor es, in libello à te edito pag. 16. uſu nivis, vel nivatæ Aquæ, ſanguineis vaſculis corrugatis, impulſionem ab influente ſpiritu admittis; & quid aliud in apoplexiæ curatione deſideratur, niſi ſpirituum impulſus, quò ſanguinis per arterias affluxus reſtituatur, & ſpirituum ipſorum à cerebro, & cerebello per ſpinalem medullam via aperiatur. Supra allatas, & dictas explicationes ante oculos habeas, hinc deducas, volo quanti momenti ſit in affectibus hiſce curandis uſus frigidæ, quam admittere hoc argumento me ſcias in omnibus capitis affectibus ab humoribus viſcidis, craſſis, lymphaticis &c. ut evenit in comate, catalepſi, letargo, charo, paralyſi, cæteriſque morbis, in quibus frigidam

ob-

obſtinatè contempſiſti. Multum hìc laudo quod in M. S. canit recentior Aquæ Frigidæ practicans, nempe, ideo ſemper effectus non ſuccedit felix, quia non citò ad uſum frigidæ devenitur; tentantes noſtri temporis Medici tamquam ultimum præſidium cum in agone certat æger Aquæ Frigidæ filo animam in confracto corporis ergaſtulo retinere, ad frigidam ægros remittentes cum corpus diræ parcæ jacula jam jam eſt certè probaturus. Experimento jam ſupradicta probare innegabili mihi nunc fas erit; Monialis quædam in Venerabili Monaſterio Sanctæ Mariæ omnium Gratiarum hic Panormi, ex retentione menſtruorum vaſa opplentium Apoplectica facta, ſenſu, & motu, quaſi omnino orbata, paucis poſt inſultus invaſionem tranſactis horis, Aquæ Frigidæ practicante vocato ſic curata perfectè remanſit; Ablatis ſubitò veſicantibus à Medicis applicitis, & nive illis ſuperimpoſita mediante uno papyri folio, nive plantis pedum, volis manuum, occipitio, fronti applicata, & omnibus in caſſum habitis, nivem tandem appoſuit regioni cordis, & oh mirum viſu, & auditu! ſtatim ipſa quaſi ad vitam revocata ad priſtinum rediit ſtatum, illicò, & ſine motu menſtruis purgationibus iterum apparentibus, ritèque fluentibus, & aquam de-

inde plurium dierum ſpatio bibens, ſalute fruebatur perfecta. Sed novum Aquæ Frigidæ in eodem ſubjecto ſentias miraculum, recidivam hæc poſt aliquod tempus paſſa iterum uſu frigidæ curata, viſionem oculorum, quam invaſione ſymptomatis perdiderat, ſic recuperavit; nivem practicans oculis ipſis appoſuit, & horæ quodrante nondum tranſacto, amiſſam oculorum lucem iterum obtinuit, nullam in ipſa Moniali remanente dein læſione, perfecta gaudens uſque modo ſanitate.

Volo tandem, ut Vvilliſium tract. & cap. de Vertig. loquentem audias. Hic de iſto inveterato capitis Affectu loquens, Frigidam Aquam fronti applicandam commendat his verbis: *Diluculò ſurgens, manè tempora, & ſinciput Aqua Frigida perluat.* cap. 7. de Vertig. fol. 375.

PRO CURATIONE HÆCTICÆ.

Dices: Aquæ Frigidæ uſus viſcidum per ſpiritus impulſionem diſſolvit, attenuat, ergo in acribus ſalibus, & furentibus, ſicut & in paucula vitali flammula, & quidem inerti, ut accidit in Maraſmo, non competit, nè magis in primo caſu ſpiritus irritatos redderet, & ne in ſecundo ſolida extenuata colabe-

laberentur, ut dixiſti pag. 24.

Reſpondeo, conſequens diſtinguendo: non competit in illa quantitate, quam ad viſcidum attenuandum, & ad ſpiritus impulſum cum ſolidi corrugatione inducendum adhibemus; Concedo: nullo modo; negatur conſequentia. Dupplicem enim curandi modum in Aqua Frigida adminiſtranda tenemus unum ad viſcidum attenuandum: & ad ſales furentes emendandos alterum: ſimulque ad calorem fovendum, & ſpiritus; jam verò ubi volumus viſcida diſſolvere, & majorem ſpirituum impetum ſuſcitare Aquam Frigidam, tam ſæpè, tali quantitate, & tanta nivis applicatione ad extra porrigimus, ut ſolida ſpiculis ſuis irritando ad expanſivos motus, frigore ceſſante, revocentur, & calore ſuſcitato viſcida humectata, & molliora humiditate facta perfectè reſolvantur. Quando autem furentes ſales corrigendi, abſorbendi, edulcorandi, & flammulam inertem ſubſtinendi nobis eſt finis, ut accidit in Maraſmo, Frigidam Aquam per potiones frequentes tam minimas, puta ad dimidium libræ, vel minus, propinare nobis eſt arcanum, ut ſuavitèr eliminentur ſales, & blandè edulcorentur, diluantur, atque flammula vitalis iners potiùs foveatur, & non ex-

tinguatur; ut ſupra cum Sanctorio Sanctorio clariùs declaravi; addo, quod volatiles ſales lævigatis aquæ Moleculis obtuſi, ac in ejus ſinum demerſi blandè extirpantur: Frigiditas enim ab intrinſeco calore moderatur, (dummodò in tali caſu debita, & diſcreta adminiſtretur aqua doſi) nec amoris vinculum inter aquam, & ſales frigiditas potis eſt diſſolvere, ut teſtaris pag. 18: Quinimmò frigus illud, quod, dum magna quantitate quinque librarum, ſcilicet ſimul epotarum bibitur Aqua Frigida, experitur, ſi pauca doſi, ut ſolemus in hiſce morbis, licet repetita frigida propinetur, ut experimento conſtat, non ſuſcitatur; & ſolida ſine ulla irritatione, frigidæ humiditatis ratione, ita humectantur, ut ſolidorum, fluidorumque tonus abſente quacumque Microcoſmi læſione integrè reſtituatur; Conſule experientiam plura te ipſa docebit cum Romano Hyppocrate Georgio Baglivo, qui mulierem ætatis xxxv. annorum ob nimiam humorum acrimoniam Græcorum lepra vexatam cum ingenti, & longa menſium ſuppreſſione, poſt tot decocta ſudorifera ab aliis præſcripta uſu ſimplicis aquæ ad plures libras ſummo manè curavit.

PRO

PRO DEBILITATE VENTRICULI.

LIcet multotiès, cum neceſſitas urget, ſoleamus, & nos ad ſimplicem aquam recurrere, quæ Frigida ex ſe eſt, quam Aquam Temporis vocabat novus Frigidæ Practicans; verum tamen ſemper erit frigidam uſu nivis factam magis ſanitati prodeſſe, frigidior enim magis amica eſt ſtomacho, unde ait Galenus lib. 7. Meth. *Multos vidi ventriculo malè affectos frigida potione una die levatos*. Et quamvis Hyppocrates de uſu liquid. *Hoſtilem aquæ uſum venis, thoraci, & ventriculo oſtenderit*. Concluſionibus tamen meis non officit, ut ipſum conſideranti patebit; timet enim Hyppocrates, ne Frigida organa una cum ſuo calore Aqua obruat, & superet. Ipſius verba veritatis amicus refero: *Et ventriculus ipſe à frigida ſuperatus mortem minatur*. Et paulò poſt: *Profundiſſima à frigida ſi ſuperentur maximè utique gravantur*. Alienum autem valdè à noſtra praxi eſt partes has nervoſas, & vitales, frigida opprimere, & ſuperare; debiles enim uno modo, & fortes alio curamus; nec eamdem methodum pro quocunqne tenemus ſubjecto, nec tam præcipiti manu ægris aquam porrigimus. Una enim manu aquam ægrorum labiis præbemus, altera pul- Hypp.

ſus obſervando vitalem perpendimus facultatem; Hyppocratis præceptum obſervando: *Cavendum ne, in frigidæ uſu modum excedamus*. Quod etiam ab hac Statica falsò interpretatum animadvertitur. Et experientia nos docuit Aquam bibentes quaſi caninam experiri famem. Lege tract. ſeq. de Diarrhea.

PRO CVRATIONE DYSENTERIÆ.

SEd etiam Vlceribus frigidam inimicam eſſe declaraſti pag. 27. teſte ut dixiſti, experientia, quæ forſan tibi dumtaxat fuit manifeſta, ſuppurationem, exiccationemque prohibere, & à frigoris ſpiculis irritationem pati intrepidè affirmaſti; Cornelium
Celſus. Celſum advoco in teſtem lib. 4. cap. 15. de Dyſenteria loquentem, ubi ait: *Si in pluribus diebus nihil remedia alia juvarunt, vetuſque vitium eſt Aquæ benè Frigidæ potio aſſumpta ulcera abſtringit*. Et in manus incidiſti veritatis, quam debellare totis viribus es conatus; Enormis tibi triginta, vel quadraginta librarum menſura in aqua adminiſtranda apparuit, ad prima ergo Medicinæ lumina me-
Aſclep. cum oculos converte, & Aſclepiadis verba de alvi fluxu læto animo excipias: *Frigidæ aſſiduam potionem eſſe debere, & quidem, quam fri-*

frigidiſſimam. Actii quoque ſenſum in hoc tibi aperire mihi in animo eſt. 3.tetr. lib. 1. cap. 36. *Vidiſti aliquos per diem unam, quoſdam ampliori ſpatio frigidæ potu curatos, quorum aliquibus non ſolum recentem fontanam frigidam exibui, ſed etiam coctam, & poſtea nive obrutam, & refrigeratam.* Cui reſpondet Arabum Princeps Avicenna, ubi de fluxus ſanguinei curatione verba faciens ad Aquam Frigidam liberè potandam recurrit, & alii Hyppocrate Duce hæc conteſtantes; nam lib. de Dieta 2. ait: *Spiritus, & cibus, & potus humiditatem in corpore congelant, ſi excellenter frigida fuerint, & per congelationem, ac frigiditatem alvos ſiſtunt.* Actius. Avicen. Hypp.

PRO CURATIONE DIARRHEÆ.

MAximam verò, antequam punctum hoc de Ulceribus claudam vobis aperui difficultatibus viam: dicet enim aliquis Frigida motum cauſat, à motu calor oritur; inde ſegregationes, egeſtioneſque oriuntur, & experientia etiam conſtat frigida potione alvos moveri; falſum hinc erit frigidam alvos ſiſtere, & diſſentericos fluxus curare. Memores attamen eſtote eorum quæ ſupra dixi, ſcilicet frigida potione, ſolida, fluidaque in debita ſua craſi reſtitui, & ſalutari tono redonari,

ri, hinc ſit quod recreato, refectoque totius Microcoſmi ſiſtemate, & roborata ſolidarum partium natura dicam cum Fortunato Fideli contempl. med. lib. 23. cap. 5. *Frigida facit in corpore, quod ex uſu eſt, ſive movenda ſit alvus, ſive retinenda*. Ut accidit Metoni teſte Hyppocrate, qui ardenti febre correptus cum lumborum dolore, & gravitate, *ſatis multa aqua* fuit ab ipſo curatus; ſtatim enim aqua epota alvi fluxus Metoni ſupervenit ſalutaris. Nativa enim aquæ frigiditate Metonis temperamentum refectum noxium humorem ad inteſtina expulit, retenturum alioquin, ſi ita res corporis poſtulaſſet; & hac ratione expertum ab omnibus eſt, quod purganti pharmaco epoto, & pigrè agente frigida potione alvus citetur, & abundè reddat: ventriculi enim fibris corrugatis, fibrarum inteſtinalium oſcillatione facta, ſpirituumque impulſu ſuſcitato, noxium humorem natura deorſum impellit, hinc ſi viſcerum laxitas peccat, frigida, ſolida corrugando, illam emendat & viſcida impacta ſpirituum impulſione, acido correcto diſſolvit: corrugatas autem fibras frigida tali, & tali methodo adminiſtrata relaxat, acres enim humores ſalinoſulphureos, ut Hydroſtaticæ ſupradictæ Scriptor fatetur imbibit, corrigit, eliminat.

Po-

Poſita hac Doctrina novæ, ut aſſeris methodi verba intelligere non abhorreas: *Nè si ſgomenti l'Infermo, anche ſe il corpo nel fluſſo arrivi a ſeſſanta corſi il giorno, perche ſe beverà continuo ſecondo la ſufficienza, non vi è che temere di perderſi l'omogeneo dell'Vomo, deveſi avvertire, ſecondo s'hà detto, che l'acqua diſſolve, e reſtringe il calore naturale, movendolo, a fin che congeli, e fabrichi ſoſtanza, e corpi, e quindi l'acqua cagiona corſi, e l'acqua li toglie.*

Aetium nunc ultimam apponentem manum adducam in veritatis teſtimonium lib. 5. cap. 72. *Opportuno tempore data aqua corroborat ſolidarum partium naturam, corroborata verò natura præattenuatos humores aggreditur, ut bonos quidem detineat, inutiles verò ciat, aut per ventrem, aut per vomitum, aut per ſudorem.* Aetius

PRO ULCERIBUS.

SEd ad Ulcerum curationem, à qua dicendi gratia declinaveram, redeamus. Negat (ut fateor) Hyppocrates ut inimicam Frigidam Aquam, ſed non rectè exhibitam, ſcilicet, ſi intempeſtivè, nimia quantitate, importuno tempore &c. adminiſtretur, nam alibi lib. de locis in homine de Vlcere ferino loquens hæc habet: *Medicamentis humectantibus ipſum ul-* Hypp.

cus

cus illinire oportet, ut ex humectato ulcere fluxus foras effluat, & non ſubter carnem: influentia enim in ulcus frigefacientibus pharmacis illinenda ſunt, quo perfrigerata caro exiſtat, & non diſrupta rurſus fluxionem immittat. Deinde ejuſdem præceptum ſentias: *Sed alia ulcera frigefacientibus oblinenda ſunt, & ſuper ipſa humectantia imponenda.* At quid Aqua Frigida humidius, & ad frigefaciendum promptius? quod ſi de frigefacientibus actu calidis loquentem velis Hyppocratem demonſtrare, Velaſcum audias de Taranta à Lazaro Riverio de ulcere uteri citatum: *Novi, inquit, aliquas mulieres, ſe ſentientes habere hujuſmodi ulcera in utero, lavabant ea cum Aqua Frigida, mundabant deinde, et pannis lineis exiccabant, et in matricem mittebant frequenter, atque iiſdem ſæpè mutatis, ac ipſa aqua per ſe ſæpè ad integram curationem ſufficiebant.* Advertas tamen de ulcere cum inflammatione ibi Riverium loqui; in inflammationibus enim Aquæ Frigidæ inimicum te declaraſti, & tamen cum de affectu iliaco Riverius ipſe loquatur lib. 10. prax. cap. 3. ſi ab hernia inteſtinali affectus producatur ait: *Si hernia fiat cum inflammatione inteſtini fotu ex Aqua Frigida curatur.*

Idem.

Velaſc. de Tar.

River.

Rhedi. Lege celebrem in ſuis experimentis Franciſcum Rhedi, ubi multa circa hoc punctum ex-

experimenta adducens Italico licèt idiomate, concludit ſe ipſum ſola Aqua communi Frigida, *quam nos Aquam Temporis dicimus*, neque igne calefacta omnia ulcera, vulneraque ſumma omnium admiratione curaſſe; & Egomet Nobilem puerú filiũ Præclariſs. Dom. D. Hyeronymi Gravina Ducis Cruyllas obſervavi, qui à caſu, vulnere in mento facto, ſola Aqua Frigida curatus omnino fuit, cicatrice, quæ cæteroqui non parva eſſe debuerat, vix apparente, ut ipſe Puer, me præſente una cum Præclariſſimo Duce fatebatur. NOVA OBSERVATIO

Quid mirum ergo ſi dira veſicantium ulcera, & alia frigida curabat novus frigidæ Practicans. Veteris Ferri venditor quidam fyſtuloſis ſcroti ulceribus vexatus ſola Aqua Frigida epota per diem meliùs ſe habuit, ut ipſe coram uno ex amicis meis jurando, & conſtestando fatebatur, factus ad æquitandum, ut accidit, potens. Sales denique acidos, & acres ulcerum, & fyſtularum cauſas frigidam emendare, imbibere, diluere, & dulcorare, &c. ſi negas tibi ipſi contradicis.

Cæterum cicatricem in ulceribus prohibentia ſunt ſalium acrimonia, vel aciditas, quibus correctis cicatrix apparebit optata. Jam verò frigida, quæ ſalium acidorum, & acrium diluens eſt univerſale communitèr ad-

miſſum, cur ea curare non poſſit, neſcio: Celſus mihi teſtis erit lib. 5. cap. 26. *Levis plaga juvatur etiam ſi ex Aqua Frigida expreſſa ſpongia imponatur, ſed ea quocumque modo impoſita eſt, dum madet, prodeſt.* Nota το *levis*; ſi magnæ enim eſt plaga, integram Aquæ Frigidæ Methodum ſuſcipere oportebit.

Celſus

PRO CVRATIONE LVIS GALLICÆ.

UNiverſalem Doctrinam nunc à Georgio Baglivo allatam ad ſupradicta, & quæ dicenda ſunt corrobanda hùc uſque revocare mihi fas erit: *Dum ſanguinis maſſa, ait, a ſuo naturali ſtatu declinat, duo ſalia præ cæteris peccant, ſal ſcilicet acidum, ut obſervatur in Chronicis morbis, vel ſal urinoſum, et acre, ut in acutis, et pro ut alterum ipſorum ſupra alterum dominium in fluidis obtinuerit, ita longarum, vel acutarum affectionum moleſtiæ pullulant, vitiumque in ſoliais, vel per relaxationem, vel per corrugationem oritur, et obſervatur.* His communi Medicorum conſilio approbatis, & firmatis, morborum omnium curabilium curationem ſola Aqua Frigida abſolutam ſi rectè adminiſtretur videbis. In Lue enim Gallica, in qua tibi riſum excutit frigidæ uſus, dic quæſo, amice Scriptor, Clariſſimum Sydenha-

hamium credo te legiſſe, ſpecificum habes nè adverſus hanc luem medicamen? Sidenhamium dum legiſti, negativè reſpondes, ut ipſum auctorem legenti fol. 380. patebit. Mercurius enim ſalſa, cæteraque ligna exiccantia, ſi ſpecifica ſua virtute morbos curarent ſine ulla peccantis humoris evacuatione hoc patrarent. Cum ergo, ut ait Londinenſe Luminare Lues iſta niſi humoris evacuatione curari non poſſit, dicendum ſpecificum ipſius remedium nondum inveniri. Ideo enim Mercurius, & decocta Luem hanc expugnant, quia per ſalivationem, vel per ſudorem curationem abſolvunt, ſine quibus firmas adhuc in corpore retineret peſtis illa radices.

Adde fermentum iſtud ſyphillicum totam ſanguinis maſſam conſpurcans juxta ejuſdem Sydenhamii ſenſum Baglivo conformem, vel in ſale acri corroſivo conſiſtere, unde tot oriuntur atroces dolores, & ulcera, hectica multoties, & phtyſis. Vel in acido ſtyptico; unde gummata, nodi, criſtæ, calloſitates, excreſcentiæque, & alii morbi oriuntur quaſi innumerabiles: jam verò frigida, quæ juxta Recentioris cujuſdam mentem, ut commune principium in M. S. admittitur, ut ſalium acidorum primum diluens, ſi fermentum illud acre erit, ſalia ipſius acria diluet, obtundet, &

 fo-

foras deponet. Si in ãcido ſtyptico peccabit, acidum ab aqua dilui, temperari, obrui, quis contra experientiam negabit? hinc Aqua juſta Methodo ſumpta, & nivis ipſius applicatione per ſpirituum impulſionem, caloris revocationem, & fibrarum motum morbum ſolvere nos quotidie docuit experientia. Gummoſum enim tumorem in oſſe frontis Nivis applicatione diſſolutum Egomet in Juvene Gallico ſine ulla læſione me conſilium dante obſervavi. Quod ſi humoris evacuationem deſiderat Sydenhamius hanc & provocat Aquæ Frigidæ potus; Frigidam enim bibentes multa per vomitum, per urinam, per ſeceſſum purgaſſe nos quotidie obſervavimus. Teſte Galen. etiam Galeno lib. x. Meth. Ubi oſtendit febricitatem quemdam ſanitati reſtitutum duobus hæminis Aquæ Frigidæ epotis bilem flavam Aetius evomendo. Teſte etiam Aetio ſerm. 2. cap. 27. ubi Aquæ potum in intermittentibus febribus, (in quibus Author fallæ Staticæ Aquam damnat) præſcribit; tunc enim ait: *Aut vomitu, aut ſeceſſu, aut ſudore operabitur.*

PRO CURATIONE HYDROPIS.

HAc ipſa ratione, & ſupradictis à te perpenſis, & ponderatis volo ut reſpondeas,

deas, ſi contra Frigidam Aquam aliquid habes cum ipſam in omni Hydropis ſpecie admittere ego non indignabor. De ſicco certè ſcio te contumelias adverſum me non proferre; humectantibus enim, & refrigerantibus curam abſolvi communis eſt Doctorum opinio: De reliquis Hydropis ſpeciebus ad ſupradicta te remitto, (excipio vaſculorum lymphaticorum rupturam, vel aliorum vaſorum, de qua, ſi in humano corpore dubito curationis Methodum incipere nequaquam audebo,) cæterum, ut Legentium curioſitati ſatisfaciam, & ut Scriptoris de univerſali Aquæ Frigidæ uſu qui fatuè ab aliquibus empiricus vocatur cum celebrioribus Medicinæ Magiſtris univocum oſtendam ſenſum utrorumque ſiſtemata expono.

L'Idropiſia (inquit ille) *è acqua parimente, ma de' cibi, che ſi mangiano, havendo la natura perduto il ſuo corſo abituale per li diſordini fatti in tempo dell'officina, ò mezzi di quella; quindi non laſciandola operare, ſi viene la natura a ſtancare, e perder li ſuoi abiti buoni: onde Raymondo Lullio chiama quell'acqua, Pontica, &c.* Et cum de praxi Medicinali Aquæ loquitur hæc addit: *Patiſce ſete l'Infermo, havendo lo ſtomaco impantanato d'acqua, ed umidità, queſto procede dal non eſſerſi ſciolta bene la materia*

nutritiva, e circolare, e pertanto è Infermo, perche non potendo disfarſi i vapori, van declinando; quindi s'ammaßano, e ſi fà corpo ſerrato, e limacchioſo, ſi chiudono le vie naturali, come avviene all'Idropico, etc.

Eximium nunc in Arte Medica Doctorem audiamus totius Germaniæ lumen Dolæum de Hydrope loquentem, & amico practicanti conformem: *Nos hic accuſamus, univerſum quaſi corpus, genus venoſum, et nervoſum quatenus in his ſanguis, et ſpiritus non recte moventur, et à ſuis excrementis liberantur.* Accedit modò decus illud modernorum immortalitate dignum Vvilliſius, qui de morbo iſto verba faciens ait: *Sanguinis vitium eſt, qui in craſi depravatus partes conſtitutivas intra compagem ſuam haud ritè continet, quin ad diſſolvendum aptus, ſeroſitates ſuas à mixtione paſſim rejicit, etc.* Et paulò poſt: *Vaſa ſanguifera ſub ſecunda ratione peccant, quod nempe illorum fines, ſive oſcula, aut nimis laxa, aut prorſus occluſa exiſtant.* Loquens autem de Anaſarca, ubi cauſam aſſignat noſtri amici practicantis verba aliis Synonimis referre videtur: *Etenim Chyli ſuccus ſanguini commixtus, cum ab hujus particulis diſſolvi, aut fermentari nequit in humorem aqueum fortè acidum, aut pendulum, aut alias vitioſum abit, qui poſtea in dies coacervatus,*

Dolęus

Vvilliſ.

tus,

tus, & demum ad plenitudinem aſſurgens ſanguinem aggravat.... deinde verò, quia ſecretionum officinæ (ſpirituum animaliũ penu propter diminutum influxus ſanguinei tributum languente) in functionibus ſuis deficiunt, ſerum exuberans ex arteriolarum oſculis ubique in poros, & vacuitates proximas, ſive minores, ſive majores deponitur, à cujus aggeſtione, magna, & diuturna oritur iſte totius corporis externi, aut quorumdam ejus membrorum habitus, veluti paludoſus, Anaſarca dictus.

Hac ratione, & alia forſitan motus Amicus Aquæ Frigidæ practicans in omni hydropis ſpecie eam adhibere non timet, prohibens hujuſmodi ægrotis cujuſcumque comeſtibilis uſum ſpatio tot dierum, quot in ſua praxi exponit, aquam porrigens infirmis velint, nolint ad nauſeam uſque, cibo quocunque interdicto, niſi famem caninam poſt multos dies experiantur: dicens in comeſtionibus illis cibum corrumpi, & ſtomachum reddi paludoſum. Hinc ſolus frigidæ potus ſpiritus movendo, & incitando, calorem revocando, crudos humores diggerit, attenuat, & vi adaucti caloris paludem exiccat. Cæterum ſi Dolæo credas lib. 3. de Morb. abdomin. lympham hujus Morbi Genitricem, & Nutricem in acido abundare non negabis: *Acidam, inquit, & crudam* Dolæus

dam exiſtere lympham, quis ignorat niſi in arte medica hoſpes? Si nemo ergo ignorat acidorum maximum eſſe diluens Frigidam Aquam, omni cibo vetito, & ipſa ſola exhibita acidum corrigetur lymphæ, & aquæ frigidate animalis ſuſcitabitur ſpiritus, ſecretionum officinæ movebuntur, calor in adaucto motu reponetur, & hinc benè poſtea digerente ventriculo, & extranea aciditate expoliato ſanguine, exuberans ſerum foris per urinam, vel per ſudorem (licet in uſu Aquæ non tàm profiguus exiſtat ſudor,) vel per ſeceſſum deponetur, & ſtomacho à paladuſo infarctu liberato, viſcida per vomitum rejicientur, vel per ſeceſſum, ita ut adveniente, jam comeſtionis tempore munus ſuum rectè peragent officinæ, & benè corpus nutrietur, in ſuo æquilibrio poſito jam naturæ ſiſtemate.

Neque timeas ex copia epotæ Aquæ corporis intumeſcentiam; aqua enim digeſtioni non ſubjacet, licet multum nutritioni ex Hippocrate inſerviat, quin immò tanta majori copia exhibita pondere ſuo exitum quæret. Et ſi de facultatum vitalium eclypſi cibo interdicto dubitas; ſcias, quod aquæ frigiditate natura adjuta ab homogeneo humore, quod invenit alimentum ſumet; novaſque vires acquiret. Unde Aquam Frigidam, quæ tali

Me-

Methodo corrugata relaxat ſolida, & tali alia Methodo relaxatas partes confirmat, roboratque ſalia corrigendo, acida diluendo, ſpiritus movendo, & calorem revocando Hydropem curare non dubitamus.

Plura in operis calce tibi adducam noſtro tempore experimenta, excipias nunc non ſpernendorum authorum jurata Teſtimonia. Refert ergo primo Schenchius lib. 3. obſer. medicin. Puerum aſcite laborantem, itaut in partem ſemovere non poſſet, & à Medicis deſtitutum aqua temporis quantum poterat epota perfectè curatum, ſoluta umbilici unitate, unde aqua fluebat, ſed ejus verba librate: *Id accidit, vel impulſu aqua contracto, vel ope naturæ* Novas vires, morboſis tot acidis, vel ſalibus edulcoratis, acquirentis. Schenchius.

Refert ſecundo Langius epiſt. 12. tom. 2. Mulierem quamdam Barbitonſoris uxorem, ventrem quaſi in immenſum elevatum habentem, aquam devorando (ut ipſius utar verbis) intrà biduum per fluxum ventris plurimùm excernendo curatam fuiſſe, ſed oh mirabiles aquæ vires? Audite quæſo, quæ mulieris iſtius curationem aquæ juſſu, & imperio comitantur auxilia: *Apertis ſua ſponte Mariſcis, unde ſanguis niger effluebat.* Qui plura deſiderat libros evolvat, ne inſani nomen, dum Lang.

ſupradictam reprehēndit Doctrinam, acquirat.

Et ſi celeberrimi in Arte Medica profeſſoris, qui inter totius Neapolis Medicos alter Hermes vocari deberet Doctiſſimi dicam *Lanſani* verba explorabis, cauſam curationis hydropis, quam per fotſitan ille deſcribit, ita certè advenire quis negabit? Ait enim vulgari quamvis ad commune bonum ille loquatur lingua, italica nempe: *Aqua in tali caſu ſtagnantem movens viſcidum humerem nutritioni ineptum, illum diſſolvit, ejuſque particulis acidis immixta, eas continuò exagitando, fluxiles reddit, & per urinæ vias, & per ſeceſſum expellit*. Cur ergo timet quis uſu frigidæ majorem hydropici corporis intumeſcentiam, ſuffocationiſque periculum? Oh ſi methodum ſcirent, & rectam aquæ Methodum exercerent; infallibile hoc remedium, experientia teſte, ad praxim vocare non dubitarent. Aqua (tandem omnes ſciant) neminem occidit, præter eos multoties, quos tot medicaminum varietate, quaſi deſperatè vulneratos invenerit, infrà ſcribendæ Obſervationes teſtes erunt.

Lanſanus.

PRO CURATIONE FEBRIUM.

PRæclariſſimi modo phæbæa in arte profeſſoris de uſu Frigidæ noviſſimi Scriptoris

ris *Lanſani*, qui Neapoli adhuc vivit juſtas audio lamentationes, dum librum integrum tot ſuæ frontis ſudoribus conſtructum verboſa garrulitate, & inani verborum contextura ſpretum videt, & audit. Febres enim omnes frigida expugnari doctè, & ingenioſiſſimè ille probavit, expoſuit, declaravit; Quid eſt ergo quod dixiſti ò infelix aſtutia? Adverſus Medicinæ lumen ſic ergo arma capere non timuiſti? Ipſi ſi non acquieſcis ejus rationes expende, argumenta conſidera, & experimenta vulgari cæteroqui ſcripta idiomate perpendas. Si Democrates viveret mendacis injuriam tibi inferre non paveret, dum libro de virtute Aquæ hæc ſcripſit: *Veritas immerſa eſt in Puteum*. Democrates.

In omnibus ergo febribus frigidæ uſum admittis, præterquam in lymphaticis, algidis, coagulativis, intermittentibus, &c. ſi dubium nunc mihi ſolves, & manus tibi dabo, & calamum. Reſponde ergo: Lypiria febris eſt ne de genere malignantium, coagulativarum, an non? Scio te doctè reſpondere Lypiriam febrem ex fuſivo, & coagulante ſimul dependere fermento: in ipſa enim obſervatur ingens linguæ ariditas, ſiccitas, &c. ſitis etiam urgens, quæ ſigna ſunt fuſionis, reliquum tamen corpus totum frigefactum exiſtit, plum-

beo apparens colore; Pendet igitur hæc febris à ſanguinis Diatheſi ſulphureocraſſa (in qua pag. 17. author hujus Staticæ Aquæ Frigidæ uſum negat) ſeri particulas in ſeipſo ſtringentis quapropter intra pulmones ſanguis ulteriùs accenditur, cumque eorum ductus ob ſuam, & craſſitiem, & efferveſcentiam liberè pertranſire non poſſit; cor impigrè, & vehementiſſimè vibrans circumpulſionem ejus totis viribus molitur; nihilominus ex flamma intra præcordia gliſcente; ſitis adeſt moleſtiſſima cum linguæ ſcabritie: ex viſciditate enim lymphæ lingua humido privata exiccatur; hæc
Vvillis. ex Vvilisio deduxi, ut legenti patebit, tract. de reſpir. læſæ ſpecieb. pag. 506. ubi hujus febris coagulativæ abſolutè ab ipſo vocatæ cauſam clariſſimè exponit, rejiciendo, ut conſideranti erit manifeſtum, fuſionis ſtatum in hac febre, ut multi putarunt.

His poſitis pag. 17. amice hujus Staticæ Scriptor negas in Diatheſi fluidorum ſulphureocraſſa Frigidæ Aquæ uſum. Sed ſcias quod totius Medicinæ inimicum te declarat Hyp-
Hypp. pocrates his verbis: *Febris ardens cum habuerit, ſitis adeſt fortis, & lingua aſpera, & nigra fit à ſpiritus ſanè calid tate, & color ſub bilioſus fit, & ſputa bilioſa: æger extrinſecus quidem frigidus fit, intrinſecùs verò valdè calidus: huic*

con-

conducit frigefacientia adhibere, & ad alvum, & forinſecus *ad corpus cavendo ne inhorreſcat; potiones, ac ſorbitiones dandæ* frequentes, & paulatim, *quam* frigidiſſimè. *Venter autem curetur, & ſi quidem non ſubeant, quæ inſunt*, frigidiſſima *per Clyſterem immittatur aut quotidiè, aut alternis*. Et in ſequenti coagulum exponit: *Hic morbus fit à bile, cum mota intra corpus* firmata *fuerit*.

O quam benè totam Frigidæ Aquæ Methodum hic deſcribit Hyppocrates illis verbis, *Paulatim*, *Frequenter*, *Frigidiſſima*, *etc. Forinſecus, etc.* ò quam à recta medendi methodo aberrant, qui hiſce in febribus, & veſicantia, & frictiones, & ſtybiata præſcribunt, ò utinam Medicinam ſaltèm à longè ſalutaſſent, tot ægros non occiderent, & tot homicidia non patrarent; ad aquam ſolum recurrunt, cum Eliam vocant infirmi, ut communi utar proverbio, conditiones primo tàm ſeveras requirentes, de quibus nunquam meminit Hyppocrates citatus. Audite quæſo Galenum de hac febre jam deſcripta, ſic loquentem lib. de Victus ratione in acutis comm. 4. *Frigidæ potu cauſos perpetuò curavimus, nullo ex his moriente, quibus frigidam propinavimus tempore opportuno*. Galen. Legite Mercurialem ſupra dictum Hyppocratis textum de Aqua Frigida

loquentem apertè exponentem. Librum ergo ſuum amici Lectores expurgate, & Staticam contrapendentem æquilibrate.

Quid ergo difficultatis tibi remanet Inclyte hujus Staticæ Scriptor reliquis in febribus lymphaticis, algidis, coagulativis, intermittentibus, &c. times ne quod in his aucto fluidorum lentore, collapſus ſolidorum tonus magis proſternetur? Ità legi pag. 23. Sed ſciatis, quod linea adhùc non finita mox, mox ſibi hæc Statica contradicit, quando admittens frigidæ uſum in malignis febribus à fermento fuſivo, addit pro ratione: *Actuali ſua frigiditate aqua partium diſgregationi; ac proindè ſpirituum exhalationi, et corruptioni reſiſtit.* Si ſpiritus dicam ergo fovet, partes congregat, & corruptioni reſiſtit; quomodo igitur quæſo dicere non erubuit, quod aucto in algidis fluidorum lentore collapſus fluidorum tonus proſternetur: Actuali certè ſua frigiditate, aqua viſcida quæque diſſolvit, tonum firmat, vitamque jam jam perdendam reſtituit. Quot ego obſervavi infirmos algida febre ex coagulativo fermento vexatos, & à Medicis deſperatos, uſu Aquæ Frigidæ calore partium redeunte redivivos? P. Balthaſſar à Panormo Ord. Minorum Obſervantium, licet deinde mortuus, quia tardè acceſſit aqua,

quam

quam 12. die ſuæ febris malignæ præſcripſerant eum deſperantes Medici; nonnè ſtatim, ac frigidam potavit, & eam externis partibus applicavit Practicans calidus, omnium ſtupore evaſit cum pulſu elevato, & ſpe aliqua licet remota, ut fuit, ſalutis? Cum antea deſperatus marmoream tactui reddebat frigiditatem, pulſu omninò taliter ſuffocato, & conſtricto, ut penitùs obſervari non potuiſſet? Sed quid mortuos, & dormientes teſtes adhibeo?

Accedat jam jam dum hæc ſcribo curatus omninò ANTONINUS MARAXIA Inaurator hac in Urbe Panormi adhùc vivens. Hic duabus tertianis illaqueatus cum continua ad vomitum propenſione licet inani, pulſu parvo, & crebro, lingua parum arida ſed alba, pauca ſiti, alvo non multum reddente, urina rubra, febre meo videri laborabat Meſenterica, licet ab alio non minoris, immò maximæ notæ Medico, & veræ Medicinæ Magiſtro, quem, ut meretur, laudare pondus eſt meo intellectui ſatis grave, licet ab iſto, ut dicebam, inflammatione ventriculi laborare aſſerebatur. Quidquid tamen de hoc ſit tres eramus hujus curationis Medici aſſiſtentes, duo tamen, febre jam prædominante, viribus omnino confractis, Hyppocratica facie ægro habente, cum totius habitus refrigeratione, RECENS EXPERIMENTUM.

&

& pulſu formicante, ipſum ut jam deſperatum, & mortuum reliquere. Cibum omnem reſpuebat infirmus, & in liquida forma, & ſimul in ſolida, ità ut Ego met de ipſius ſalute prorſus dubitabam. De uſu Aquæ Frigidæ ab uno ex his duobus Medicis, tamquam de ultimo præſidio conſilium peto, obſtitit, & iſte hujus Medicinæ Principiis, illud celſi contradicens: *Melius eſt anceps experiri remedium, quam certò exitio ægrum exponere*. Sed fide oretenus coram parentibus omnibus ab ipſo accepta, quod jam de ægro actum erat, magis quod cibum omnem reſpuebat, Aquæ Frigidæ methodum decima quarta die quà diræ parcæ expectabamus ſpicula, pro ut vires permittebant, præſcribo, taliter ut unius noctis ſpatio decem circiter libras potavit, licet innumerabilibus conatibus, moribundus infirmus. Nivem plantis pedum, ſincipiti, & occipiti ſuper impoſui ad coma ſomnolentum, quò vexabatur præſertim in principiis acceſſionum tollendum, quod ſemper toto morbi decurſu exercui, ſtatim enim ab impoſitione nivis æger expergefactus reſpondebat. Sed obſtupeſcite Amici Lectores, manè ad infirmi iſtius domum accedo, & antequam perveniſſem in ipſa, qua incedebam via publicam Aquæ Frigidæ de Morte imminente Victo-

riam

riam à vicinis præ lætitia exultantibus audivi; Ædem aſcendo, & ægrum benè diſcurrentem, & cum adſtantibus præ ſtupore intentis loquentem invenio: *Habito magno alvi fluxu ærugineæ bilis*; Cibum omnem ipſi ſtatim interdixi, ſolis ovorum vitellis pro facultatum vigore permiſſis, vel uno gallinæ jecuſculo tantùm conceſſo, Aquam per urinam mingebat, ſed cum ad diem vigeſimum primum Æger perveniſſet bilem flavam ſinceram ipſo hoc die evomuit, & de lateris dolore quærebatur cum aliquali tuſſi. Ab uſu Aquæ, hoc non obſtante, non recedo, quin immò magis inſiſto, augebatur thoracis dolor, at Aquæ ego augebam doſim, magis at ille quærebatur, & lynteum ego Aqua Frigida Madefactum parti replicandũ ſuperimpono; ſed quid? Lynteo hoc ſuper impoſito, pleuriticus abſceſſus rumpitur, & viſcida, virulenta, viridaque ſputa tali impetu rejiciebat æger, ut mihi ipſi ſtuporem inferret; majorem hinc animum acquiro, inediam iterum pręſcribo, Frigidam Aquam libenter infirmo porrigo, & lintea Madefacta thoraci dolenti reimpono, & ſex, vel ſeptem dierum ſpatio pleuritis illa abſolutè diſparuit, ſuccedente vomitu bilis primo vitellinæ, craſſæ, deindè porraceę, & tandem phlegmatum viſcidorum, ut erant, &

H ſpu-

ſputa, quæ continuò excreabat.

Remanſit tamen duarum tertianarum erratica periodus, licet æger tot vires jam haberet, ut in tuto jam poſitum, & de ſalute certum omnibus eum promiſi, ut defacto accidit. Trigeſima tertia enim, vel quarta ſui morbi die, Aquam omninò reſpuit noſtra Methodo exhibitam, majorem cibum, & ego permiſi, licet Aquam Frigidam pro potu nunquam amovi, vires conſiſtebant, urina erat ſanorum, lingua humida, calor quaſi naturalis, parum febriebat; & ut priſtinæ ſanitati illum citò reſtituerem, antifebrile Fazelli dictum porrexi, & nebula illa febris taliter diſparuit, ut quadrageſima, ni fallor, die ſanum eum reliqui ſummo omnium plauſu, ſecundo Medico ſemper curioſitatis gratia aſſiſtente; licet ut verum fatear, & omnibus in confeſſo eſſe debet ſoli Deo omnis debetur Gloria, de plenitudine cujus nos omnes cæteroqui ignariſſimi accepimus. Alia in operis calce legite experimenta.

Galen. Galenum nunc à nemine contemnendum lib. 9. Method. adduco, ait enim febres putridas, niſi, vel ſanguinis miſſione, vel multo Aquæ Frigidæ potu, vel utroque ſimùl curentur, propelli non poſſe. Sentias nunc Aetium ſerm. 2. cap. 72. ubi frigidæ uſum in (Aetius)

in-

intermittentibus febribus liberè admittit, quia *tunc*, ait, *aut vomitu, aut ſeceſſu, aut ſudore operabitur*.

Solum ſupra adductum exemplar ad hoc firmandum ſufficeret, nam ſi emortua fermenta aqua reſuſcitat, & mortuos, ut ita dicam ad vitam revocat, quid in cæteris cujuſcunque ſpeciei febribus, & morbis poſſit agere, cogitate: Si contra majus agit, cur agere, & adverſus minus non poteſt? Sileant ergo Aquæ Frigidæ inimici, taceant garruli, doceant neſcii, experientia eſt magiſtra, ipſam conſulant, & veritatis canent Triumphum.

Pro coronide tamen hujus ultimæ aſſertionis, ut oſtendam aquæ uſum practicantes non eſſe Empyricos, ut ignarè, & ſtultè multi aſſerunt, qninimmò, ut notum omnibus faciam, veræ Medicinæ eſſe Sectatores, illud Hyppocratis perpendite aſſertum lib. de Diet. 3. ubi loquens de morbo à repletione, hæc habet: (Methodum paucis verbis noſtram attendite) *Attenuatione ſubita opus habet, itemque deambulationibus, ſi verò Providentia non adhibita, ad febrem pervenerit, nihil aliud offerre oportet præter Aquam per tres dies.* Rideant nunc ſi poterunt hujus Staticæ aſſeclæ. Oh ſi omnes vellem, hic Hyppocratis loculos adducere, librum claudere in æternum non poſſem.

Sit tamen tibi certum in omnibus morbis, & febribus, & à calido, & à frigido, & à craſſo, & à tenui, & à ſulphure, & à ſale, Aquam Frigidam te poſſe adhibere. Hanc porrige, cibum omnem prohibe, pro recta methodo à juſculis cave, à ſyrupis tanquam ab angue, dum hanc exhibes, fuge, à vino peſte pejus time; uno verbo Methodum ſcias, & aquam libenter exhibeas, viſcidum quodvis attenuabis, lentum diſſolves, calorem revocabis, officinas movebis, morbos omnes curabis; in methodo tamen tota virtus; Aqua enim quantum eſt ex ſe, ſi rectè adminiſtretur, magnas, & innumerabiles habere vires quis negabit? Lactantium à Tachenio adductum ſatis laudare non potis eſt lingua: *Aqua, dixit, à qua ſunt omnia.* Hyp. lib. de Dieta 1. *Ignis, inquit, & aqua ſufficientia ſunt omnibus, per omnia, ad ſummum, & ad minimum.* Et eodem lib. *Aqua omnia per omnia nutrit.* Et celeberrimus Hyppocratis Claviger Tachenius, quid de aqua non dixit? *Aqua coagulatur vi ſulphuris vegetabilis in herbas, ratione alkali, quod in ſe habet; vi ſulphuris mineralis coagulatur in mineralia; vi ſulphuris animalis in animalia*, ut obſervamus in ranulis æſtivo tempore cum pluit ſtatim ſuper terram apparentibus, &c. & aliis aquaticis animalibus,

itá

ità ut juxta Tachenium omnia præter animam rationalem à Deo Trino, & Uno creatam fiunt ab Aqua, ut apud ipſum in ſua clavi patet.

UNIVERSALIS DOCTRINA Pro curatione omnium morborum.

PHantaſticus tibi ergo non appareat doctiſſimi, & ſubtiliſſimi Lullii philoſophandi modus, ut pag. 31. dixiſti: Exceptis his, quæ nos docet fides, Hyppocrati ſi credas, omnia ex aqua facta ſunt, et fiunt, ut patet eodem libro ſupra citato de Diet. *Conſtituuntur igitur, tum animantia, tum alia omnia ex duobus differentibus quidem facultate, concordibus verò, & commodis uſu Igne, inquam, & Aqua*. Hinc effutientem non dicas eum, qui ſic arguit: *Ex Aquæ rincrudatione ſequitur alteratio, ex alteratione, putrefactio, ex putrefactione, diſſolutio, ex diſſolutione, rarefactio, ex rarefactione, ſubtiliatio, ex ſubtiliatione, motus, ex motu calor, ex calore ſpiritus, ex ſpiritu vita*. Dices pag. 31. Ex putrefactione fiet ergo ad vitam progreſſus? Negare forſan, reſpondebo, poteris ex Aquæ putrefactione vermes, et animalia vita prædita oriri? Si negare igitur hoc non poteris Gordii nexus imperſcrutabiles, (ſic argumentum iſtud appellavit

Sta-

Staticæ Scriptor) ſolvere ſtudeas, ut id, quod imperſcrutabile tibi apparuit evidens ut puto videatur. Excipio tamen caſus illos, in quibus putrefactio expectare non poteſt vitam, ut eſt partium vitalium, quæ inducias non ſubſtinent: Tandem, et ſi dicerem Aquam corpus nutrire contra Galenum ad timorem tuum tollendum, ne virium Ecclypſis à cibo interdicto accidat, dum Aquam bibunt noſtra Methodo Infirmi; benè quidem dicerem; quod ſi negas Tachenium in ſua clavi fol. 45. audias: *Qui nutrire ratione alKali Aquam negant, hi ex hac negatione, nil niſi univerſale ludibrium obtinere poſſunt.* Et Mercurialis tract. de Macie uſum Aquæ Frigidæ apud nonnullos referens: *Novi, inquit, & ego duos Magnos Principes hoc uſu pinguefactos.*

Modus autē curationis, & nutritionis habetur juxta ſupradicta, quia frigiditate Aquæ natura adjuvata ab homogeneo humore, quod invenit alimentū ſumit, acidis expulſis, ſalibuſq; eliminatis. Et cū omnia, ut dixi cum Hyppocrate, ex aqua facta ſunt, quidquid eſt in corpore præter animam aqua eſt, licet variis incedat indumentis, & ſecundum varias texturas, quas accipit, ex diverſis combinationibus, varios producit ſic variata morbos; hinc aqua multa epota ad ſuum primum principium ſalia illa,

la, & acida revocans, & ſuæ naturæ homogenea reddens, & morbos omnes curat, & corpus alit; ſi ulterius hoc explicare vellem, integer meis votis non ſufficeret annus: Sapientibus autem pauca. Dicam ſolùm cum S. Hilario Sanctæ Eccleſiæ Doctore ad firmandum Hyppocratis dictum huic aſſerto conformem: *Sal eſt in ſe uno continens aquæ, & ignis elementum, & hoc ex duobus eſt unum.* ita in Matth. cap. 4. poſt init.

Dices contra me, ſi ergo ab Aqua tot proveniunt prodigia, tot miracula, cur ſola aqua ad morbos profligandos non uteris, ſed ad modernorum, & priſcorum recurris præſidia, cum vocatus es ad infirmos?

PROPRIA DEFENSIO.

RESpondeo, ut verum fatear ſi mihi liceret tot Ariſtarchorum linguam evellere, qui ſatyricis dictis alterius famam diruere contra veritatem non erubeſcunt, Methodum, & Aquæ praxim ſemper exercerem; at quia ex una parte hoc eſt impoſſibile: indurato enim corde eſt aſtutia; & ex alia parte expenſis non omnibus poſſibilibus, ut præſertim accidit pauperibus curatio opus habet; & ſecundo, quia longa nimis, & periculoſa ob

ali-

aliquem ægrotorum erratum eſt cura, & tertio, quia brevior, & magis accepta noſtra in regione, eſt Pharmaceuticæ, & Chymicæ exhibitio: multi enim Aquam Frigidam, & Aquæ Nomen abhorrent propter timorem ab ineſpertis ipſis inductum, ideo Modernorum, & Priſcorum quæro præſidia, ad Aquam Frigidam ſubito, & ex ſtimulo conſcientiæ recurrens, ſi neceſſitas nimis urgeret, ut adhuc contra tot celebres Medicos in me invehentes facere felici ſucceſſu non erubui: certus tamen eſto, quod rogatus ſi eſſem ab ægrotis de aqua porrigenda, aquæ praxim ſine ullo timore libenter exercerem; quidquid alii ſentirent noſtri temporis celebres profeſſores: Deo enim vivimus, & Deus eſt qui nos judicat, valdè æquidem mihi diſplicet, quod ſuis dictis ſuſpectam humanæ ſaluti quotidiè populis prædicant innocentiſſimam hanc panacæam omnibus, ut ſupra dixi, cæteroqui ſalutarem.

Nec novum in Arte Medica nivatam Aquam viſceribus apponere videatur, legite Dolæum lib. 3. de morb. abdominis loquentem de cholera, ubi refert Archigenem Medicum antiquum in maximo æſtu Frigidam Aquam ventriculo applicaſſe, immo verò nivatam, vel lynteo, vel veſica. Hinc Dominus meus *D. Gutterra Baro de la Valle* pleuritide legiti-

ti-

tima correptus decem ante annos à die quo ultimum vitæ ſolvit tributum Deo O. M. quem inexpectata morte ſibi ereptum nunquam ſatis plorabit tot ejus doctrinis illuſtrata Aurea hæc Panormitana Civitas, lynteo hic Aqua Frigida madefacto, ut adhuc vivens fatebatur, parti dolenti applicito morbi ſolutionem probavit. Sed quid ultra?

Ut controverſæ Staticæ Scriptoris verbis utar: Quæ dixi ad ſingulos transferri morbos parvo negotio poſſent, ſi temporis penuria in negotiis peragendis hoc mihi non negaret. Saccharum tamen pro condimento apponere mihi lubet.

AD SANGUINIS MOTUM provocandum.

SI Mulier, quædam torpore tentata eſt tybiarum, & pedum cum impotentia ad motum à ſanguine in his partibus deſidente, quid faceres amice Profeſſor? Sanguinis miſſio tibi eſſet in promptu, frictiones non deficerent, decoctis non careres, & pillulis ægram vel purgationibus torquere, credo te non timere. Hyppocratem autem lege ad ſanguinis motum, & reverſionem ſuſcitandam curam adhibentem: *Revertitur autem celerrimè cum ſteterit in Aqua Frigida, quæ ultrà malleolos*

 ma-

madeſaciat, atque hic quidem torpor facilè cædit. Ità lib. de nat. mulieb. propè ſinem.

PRO ARTHRITIDE, RHEUMATISMO, aliiſque doloribus.

RESponde, quæſo, in articularibus doloribus, & rheumaticis tibi ad repetitam ſanguinis miſſionem Lanceolæ præſcriptio non deficeret; & millia alia ex tot medicaminum apparatu. Sed reſponde, quid dices ad illud Hyppocratis dictum: *Articularis dolor cum tenuerit, corripit calor, & dolor, corripit autem acutus, & alium, atque alium articulum dolores incumbunt, tum acutiores, tum molliores: huic conducit, qua parte dolor heret frigefactoria, &c.* Si reſpondes de frigida hic Hyppocratem non loqui librum, dicam; de uſu liquidorum evolve, ubi ait: *Tumores in articulis, & dolores ſine ulcere, & podagricos, & convulſa plurima ex his frigida multa affuſa levat, ac extenuat.*

PRO CALCULI CURATIONE.

IN propellendis renum calculis utiliſſimum eſt remedium Frigidæ potus, Aqua enim ſalinum acidum eorum cauſam corrigit, expel-

pellit, ut dixi in ſupradictis, & renes imbecilles corroborat; eorumque fervorem extinguit. Lege Gal. lib. de ren. affect. cap. 4. ubi ait: *Vacuato corpore (quod nos per inediam facimus) Frigidam* ſæpè copioſam *exhibuimus, ita enim renibus corroboratis impactum lapidem expulere.* Hæc etiam habet Alexander Aphrodiſæus 1. lib. probl. 110. *Frigida potione renum calculus expellitur.* Aetius quoque 13. tetr lib. 3. cap. 5. ait: *Frigidam Aquam* frequenter, & acervatim *bibendam exhibuimus, & corroboratis renibus, impactum lapidem expulerunt.* Hæc ſatis.

Enormem tamen non dicas in hac medendi Methodo frigidæ quantitatem, quam ægris porrigimus. Si rationes enim ſupradictæ obſtinatam non evincunt mentem; quid ampliùs tibi faciam? Conſilium do: crede ergo experientiæ, & legitimum Ego te credam Hyppocratis diſcipulum; ait enim divinus Senex lib. de Diet. *Oculis autem magis credere oportet, quàm opinionibus.*

Neque vulgi lævitatem appellare audeas, (ut legi pag. 33.) ſi à quodam Religioſo *Ad. mod. R. P. D. Iacobo Mango* Celeber. Ordinis Sancti Benedicti ex Caſſinenſibus frigida curato ad frigidæ præſidium vulgus ipſe anſam arripuit: Recta enim methodo ob ipſomet

practicante aqua illi adminiſtrata, ſalutem à Medicis deſperatam forſan non reddidit, & vitam; dum à maligna febre mortem minante evictum ſe quaſi videbat? Gratias Deo ago, quod ſanus adhùc vivit, & teſtis eſt fidelis Veritatis, & Egomet in Regio Montis Regalis Monaſterio ex ejus ore accepi veritatis teſtimonium, novus factus mihi amicus, quia amicum me vidit veritatis.

FALSÆ STATICÆ PRO NOSTRA Sententia aſſertum.

UNum tantummodo in hac falſa Statica candido ſignandum lapillo aſſertum legi, eſtque illud, quod pag. 33. retulit, ubi recidivas; & damna referens à frigida cauſata, veram harum ruinarum cauſam exponit his verbis: *Quæ ſanè non eveniſſent, ſi remedium in abuſum non commigraſſet*. Omnem laudem verè hic, Lectores, meretur author, verum dum fatetur. Damna à frigida, ſi quis retulit propter ejus abuſum hoc evenit, vel ex parte ſcilicet aquam diſponentis, vel ex parte recipientis: multi enim quaſi eſſent hujus obſcuræ methodi practici frigidam ægris claudicante methodo diſponere non erubuerunt, omnem cibum abſolutè, & ſimplicitèr

ægris

ægris prohibendo, vel noxios concedendo, contra veræ hujus methodi principia; quorum ratione nunc ægris cibum omnem interdicimus, nunc verò pro varietate cauſarum aliqualem cibum porrigimus, noxios omninò vetando, ut ſunt fructus horarii, dulcia, acida, &c. aliqui liberam diſponunt ægris comæſtionem, illos occidendo, tunc enim ſubjectam reddunt digeſtioni aquam, ratione mixturæ; unde non ordinariæ oriuntur cruditates, & infinita ſymptomata. Vel ex parte, dixi, recipientis; multi namque arctiſſimam non ſubſtinentes methodum errorem aliquem committunt, ratione cujus in varios incidunt morbos, variaque ſymptomata.

ANIMADVERTVNTVR NONNVLLA.

UNum ergo ſcias recta methodo, Aqua Frigida ægris ſi exhibeatur ipſam damnum parere eſſe impoſſibile, quæ ſit pro omnibus Hyppocratis, vel aliorum Doctorum authoritatibus, genuina, & diſtinctiva reſponſio, quam ad refutandas quaſcunque objectiones adducere, quisquis eſt, poterit, ſi rectè frigida adminiſtretur, ut nova Medicinæ Lumina priſcis Doctoribus experiere damnum non potis eſt inferre, aliter conce-

di-

ditur: Unde ſic cuicunque authoritati reſpondemus cum diſtinctione rectæ, vel non rectæ adminiſtrationis.

Advertite tandem primo, Doctiſſimum Scriptorem ad Hyppocratis dictum reparandum, ubi dicit : *Eſt Naturæ Bilioſæ Bilioſa.* Reſpondere cum Gaſpare Bravo, ibi loqui Hyppocratem de pauca Aquæ doſi, quæ ſalia ſolveret, non autem abundè dilueret, quæ reſponſio ſit mihi per Clypeo, ſi adverſus jam dicta, vel Hyppocratis, vel aliorum Medicorum teſtimonium author falſæ Staticæ adducat, ſcilicet ibi loqui, hos Doctores de Aqua vel non debita quantitate, vel non recta Methodo exhibita, atque ſi reſponſio iſta erit omnibus præ manibus nullam admittere inſtantiam.

Advertite ſecundo, cum dixerim cibum omnem eſſe infirmis prohibendum in actuali Frigidæ Aquæ uſu me hoc dixiſſe in ſuppoſitione, quod res corporis ità poſtulaſſet: ſunt enim aliqui morbi, & aliqua corpora, quibus aliquid eſt permittendum, & quibus non. Cibus autem permittendus dum aqua actu, & quantitate bibitur, non ex alio erit deducendus, quam vel ex vitellis ovorum recentium, vel exilibus paſtillis, pullorum carnibus, &c. prout neceſſitas indicabit, abſtinendo à juſcu-

lis

lis, acidis, ſalſis, fructibus horariis, dulcibus, ſaccharatis, caricis, amigdalis, &c. hujuſmodi, ſunt enim hæc venena.

Advertite tertio, non omnibus eandem eſſe præſcribendam Aquæ Frigidæ doſim; ſed reſpectus ſemper, & oculus dexter habeatur & ad vires, & ad morbum: in hoc enim tota conſiſtit Methodi Doctrina. Gravis morbus enim grave Aquæ pondus poſtulabit; & ſi vires in debita quantitate aquam non ſubſtinerent, lento pede eſt procedendum, *frequenter*, *ſcilicet*, *paulatim*, juxta ea quæ cum de febribus tractabamus, attulimus ex Hyppocrate, &c. quod ſi vires ſubſiſterent, ne timeant Periti Aquæ doſim augere ad libr. j. vel duas, quibuslibet binis, vel ternis horis, & quodcunque ſymptoma Aqua ipſa tollet, levabitque, ſivè doloris ſit, ſivè vertiginis, ſivè vomitus, ſivè ſeceſſus, ſivè tuſſis, &c. & cum neceſsitas urget ad ipſam Nivem partibus externis appoſitam, quæcunque illę ſint eſt recurrendum: ſpiculis enim ſuis ſpiritus movebit, calorem ſuſcitabit, morbum ſolvet; medicamentorum enim omnium maximum medicamen eſt Nix, ipſaque Divinæ Providentiæ Theſaurus eſt ad populorum ſalutem abſconditus, ut ex ipſo Altiſsimi ore accepit Patientiſsimus Job. cap. 38. *Nunquid*

ingreſ-

ingreſſus es theſauros Nivis? Adde, quod aqua ad ſuum principium omnia revocabit.

Hæc jam dicta ſufficiant; quæ omnium expoſui oculis, non hic obiter feci, oſtendere mihi enim omnibus in animo fuit Aquæ Frigidæ Praxim, verè eſſe Medicam, Dogmaticam, Rationalem, licet ut verum fatear non adhuc cunctis populis, Mediciſque aliquibus notam. Ah miſereor ſuper Turbam, & noſtrorum Medicorum, qui hic Panormi veram exercent medendi praxim zelum laudo; omnia enim quæ nova cuique eveniunt prudentis eſt in examen vocare, & novitatis finem expectare: De corio enim tractatur humano. Quæſo tamen vos qui Panormi adhuc degitis Hyppocraticæ Medicinæ Magnates, veſtra ſpretam aquam adjuvate authoritate: manu etenim medica aqua exhibita mirabiliores ad commune bonum producet effectus: fateor quidem in hac Urbe Panormi veram inveniri Medicinam, veroſque Medicos, nulli in toto terrarum orbe ſecundos, probitate, ſcientia, praxi excellentiſſimos. Non aliud à Populis exquirentes, niſi ſalutis perfectionem; Fateor hic omnes veritatis eſſe amicos, & nil eſſe ipſis frequentiùs, quam frigidæ potiones ægris propinare: Eja ergo veritatem, quam cum Democrito ex puteis extrahere, ut vole-

bam,

bam, non potui veſtris hauſtam experimentis expecto.

Gratias nunc Sapientiſſimo Noſtro Panormitano Urbis, & Orbis Prothomedico agere mihi tantummodo remanet; hic enim dum Hydroſtaticæ authori propè finem gratulatur, (& quidem meritò in ea enim Scribentis fulget, & in dicendo doctrina, & in docendo ſcientia, licet experimento, & rationi tandem cedat ornata quævis dicendi energia) ultimum veritatis punctum attingit; Gratias ut dixi noſtro redivivo non jam *Gervaſio*, ſed Hyppocrati ago: duabus enim paginis in fine hujus Hydroſtaticæ additis omnia in ea contenta mirè explicat, declaratque; & veram, ni fallor, Aquæ Methodum tangit, dum falſam reprehendit his Verbis: *Bella ſanè Medicina, quæ duobus verbis quemcumque, rudem, & aſinum momentò temporis Medicum facis! ægrotas? ad Aquam Frigidam recurras, & ſanaberis*. Veram Aquæ Methodum explanat verbis hiſce. O quam magna enim, occulta, ſagax, prudens, & profunda eſt hujus Aquæ adminiſtratio: Errant, qui facili negotio ipſam ægris præſcribere credunt; ſi rectè enim, & medicè non adminiſtretur damna inferet non levis momenti, & aſinina eſſet, non verò Medica operatio, ut Doctiſſimus fatetur ſu-

prædictus *Gervaſius*. Et viceverſa novæ praxis mandata, ſi ſerventur, mira quisquis es prædicabis, & optimos, feliceſque experieris eventus. VALE,& veram Aquæ Methodum,quam nunc velatam tenui, quamprimùm, Deo dante, ſi mihi fautor eris, expecta: Obſervationes autem ſequentes expende, & praxis te plura docebit.

RECENTIORES OBSERVATIONES nonnullæ referuntur.

OBSERVATIO I.

P*Ræclariſſimus Eques D.Hyeronimus Gravina Dux Cruylas* experientiæ, & alicujus rationis lance habita, bonas immò optimas fruges ex aliena meſſe ſemper decerpendo contra id, quod hujus Hydroſtaticæ Scriptor pag. 9. putaverat: Filios, & Filias ſuas numero quinque epidemicis vexatas variolis ex conſilio celeberrimi Practicantis D. Auguſtini Garſia ſolo uſu Aquæ Frigidæ curavit, eas aeri exponendo, prout Methodus poſtulat. Summa omniũ admiratione,qui neceſſarii ſunt teſtes veritatis; Dux enim iſte ductor factus veritatis, ſtudio, & ſcientia omnium Princeps, remediis quibuſcunque poſthabitis, cognita

cu-

curioſa ſedulitate (lumine aliquo philoſophico inſtructus) aquæ virtute, morbos omnes domi ſuæ ſola Aqua Frigida curatos obſervavit auxilio Aquæ Practicantis D. Auguſtini Garzia viri quidem celeberrimi.

OBSERVATIO II.

P*Ræclariſſima Domina ejus Uxor Duciſſa Cruyllas* imminentem abortum cum atroci lumborum dolore, & pondere circa pubem, necnon icterica facta ſuæ geſtationis tempore timebat; & ſolo Aquæ Frigidæ uſu, nive etiam partibus appoſita ab hac imminente liberam ſe vidit ruina. Et rurſus, menſe Martii 1722. cum parere non poſſet, frigida epota, & nive in manu habita, ſtatim peperit omnium cum ſtupore.

OBSERVATIO III.

F*Amulus quidam ipſius Ducis* Apoplexia correptus, ſenſu, & motu carens ſtatim à Frigidæ Aquæ adminiſtratione, & nivis appoſitione ad priſtinum ſanitatis ſtatum reſtitutum ſe vidit, Benigna ipſius Ducis adjuvante manu.

OBSERVATIO IV.

P*Ræclariſſimus Eques, Sac. D. Ioannes Muſcarà, & Lanza* Cachexia icterica laborans, lenta febricula, & totius corporis macie, cum dolore in profunda Meſenterii regione, & in lumbis, de Hectica damnatus, atque ſuſpectus, & acido vitriolico in regione ventriculi vexatus, ut ipſe æger cæteroqui ſapientiſſimus referebat, nihil juvante innumerabilium medicaminum apparatu à peritioribus præſcriptorum, ſpatio quaſi 40. dierum cados quaſi tres Aquæ Frigidæ recta methodo bibens, priſtina adhuc gaudet valetudine, paucis ab incepta methodo tranſactis diebus ceſſante tuſſi, febricula, icterica Cachexia, & magno lumborum, & Meſenterii levamine, aquæ copiam per urinæ viam excernens, in qua magna acrium ſalium obſervabatur quantitas, ut quidam ex adſtantibus, me præſente, linguæ tactu obſervare non timuit cum maximo ardoris ſenſu, & papula, ſtatim à ſalium cum lingua contactu.

OBSERVATIO V.

P*Etrus Iannello veterum ferramentorum venditor etiam hic Panormi* Diarrhæam quinque,

que, vel ſex menſium paſſus poſt multa fruſtra adhibita medicamina; uſu Frigidæ ſalutem, quam deſperatam putaverat, reacquiſitus benè valuit ſanus.

OBSERVATIO VI.

NOtarius *Iſidorus Guzzetta à Terra Planæ* 14. annorum ſpatio validam paſſus viſcerum obſtructionem, tumidus factus, & ictericus, uno verbo perfectè cachecticus imminente hydrope, & fluxu hæmorroidum immodico continuò vexatus, ità ut neque manum de loco ad locum movere poſſet, uſu Frigidæ, quam unius quaſi menſis ſpatio ebibit, deperditam habuit in integrum ſanitatem, cum per 12. quaſi dies nil penitùs comedißet, ſola frigida contentus.

OBSERVATIO VII.

S*Acræ Theologiæ, & Medicinæ Doct. D. Hyeronimus Battaglia in noſtro Magno Panormitano Xenodochio ſecundi Medici Practicantis nunc exercens officium (ut in opere ſupra dixi)* Febre dilaniatus maligna cum icteritia, & ad extremum redactus diem, cum eſſet à Medicis deſperatus, ſolo frigidæ uſu ad vitam jam

jam

jam amittendam fuit mirè revocatus, omnium etiam Medicorum ſtupore. Et ſi recidivas paſſus fuit, propriæ debuit imputari (mihi parcat) negligentiæ: uſu enim frigidæ à qua vitam habuerat totaliter nauſeabundus reſpuit, ut adhuc vivens negare non poterit.

OBSERVATIO VIII.

D*On Antoninus Felice* dolore illaqueatus capitis, qui eum ad quodlibet impotentem reddiderat opus multorum menſium ſpatio, tandem ſola frigida propium liber exercere potuit Detentoris officium.

OBSERVATIO IX.

A*Ntonius Bruno Macellarius* Diarrheam, quam tot medicaminibus unius menſis ſpatio, totque diebus incurabilem viderat, ſolo Aquæ Frigidæ uſu curatam agnovit.

OBSERVATIO X.

R*Everendus Pater Hyeronimus à Sutera Capuccinus* Dyſenterico fluxu ad plures menſes cruciatus à Medicis Civitatis Alcami deſperatus, Aqnam potavit hic Panormi frigi-

gi-

gidam juſta methodo ad plures dies, & convaluit, licet eſſet ætatis octogenarius.

OBSERVATIO XI.

R*Everendus Pater Hyeronimus ab Agrigento ejuſdem Ordinis* Viginti annorum ſpatio Hypocondriacus, Aqua Frigida rectè adminiſtrata, liberum ab hac morboſa ſe vidit ſaburra.

Et ne omnium Capuccinorum, qui innumerabiles quaſi ſunt Aquâ Frigida curatorum experta referam miracula, unus præ cæteris ſufficiat, qui ad hiantia tot ora claudenda potens certè erit, ſit igitur.

OBSERVATIO XII.

P*Ater Alexander Emmanuel à Careno* etiam hic Panormi Hydropicus aſcite laborans maxima ſola frigida, cibo omni ad plures dies vetito, liber evaſit omni tumefactione conſumpta, ità ut abdominis cutis complicaretur. Incidit deindè paucis tranſactis menſibus in apoplecticum inſultum, & unius lateris Paralyſim, Hemiplexiam dictam, & uſu Frigidæ Aquæ quaſi hujus morbi cauſa damnato, maxima ſumpſit ad mortem arcen-

dam

dam Modernorum, & Galenicorum remedia, non deficientibus veſicantibus, &c. ſed ad agonem jam proximus *Reverendus Pater Bernardus M. à Panormo ejuſdem Ordinis Capuccinorum* in aquæ adminiſtratione, & præſcriptione celeberrimus, qui ab omnibus tamquam nimis audax fuerat antea reprehenſus, cum aquam dare huic, qui fuerat Hydropicus non erubuiſſet, iterum nunc vocatus accedit, & famæ Aquæ Frigidæ jam deperditæ reficiendæ capidus, nivem ſtatim moribundo applicat Confratri; novum, & majorem acquirit ille motum, & ſpiritus, ità ut Aquam ſemiaphonus bibens, & recta methodo rebibens, & ab Hydrope prius curata, & ab apoplectico, & paralytico inſultu deinde adveniente, liber remanſit omnium, qui eum videbant admiratione.

* *Caſtrojoanne*

Poſſem hic, et alios, ex Capuccinorum piiſſimo Ordine, et podagricos, et hydropicos, et cachecticos, et hyppocondriacos, et quemdam eorum cancræna in una ex tybiis laborantem adducere, alioſque febribus malignis, et coagulativis correptos, hi enim omnes ſola Aqua Frigida Deo O. M. adjuvante, prima omnium cauſa, curatos eſſe, teſtes ſunt omnes mihi jurati, ſed brevitatis gratia ad alias tranſeamus curationes.

OB-

OBSERVATIO XIII.

REverendus *Pater Ioſeph Martiano Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerei Panormi* Hypocondriacus, vertiginoſus, et maxima contortus ventriculi debilitate plurium ſpatio annorum, Frigidæ uſu Aquæ amiſſam iterum propè ſalutavit corporis ſanitatem, idem feliciter accidit. *Et Reverendo P. Hortolano ejuſdem Congregationis* dolore capitis antiquo, et vertigine cruciato, idem, et aliis ejuſdem Congregationis PP. qui Aquæ Frigidæ miracula quotidiè prædicare non ceſſant, inter quos unus eſſet anteſignanus, qui hoc præſidio expugnatam vidit ſui corporis hydropem.

OBSERVATIO XIV.

PRæcl. *D. Nicolaus Catalano* per ſeptem circiter annos recidiva febre lenta tentatus, poſt reiteratum multoties corticis uſum, poſt tot in caſſum ſumpta medicamina, uſu ſolius Aquæ Frigidæ noſtra Methodo ſumptæ, ut ex ejus ore ipſe accepi, expulſum vidit hoſtem tam contumacem; & deinde Brachii dolorificam contuſionem à caſu ab æquo advenientem paſſus, dum per campos recreationis gra-

tia iter ageret, ſola nive partibus appoſita, ſtatim à contuſione immunis evaſit.

OBSERVATIO XV.

N*Avita quidam dictus il Liparoto in Inſula Pantellariæ noſtræ Siciliæ coadjacenti habitans*; Scroto apoſtemato, & deindè poſt putrefactionem ſphacelato, deſperatam reddidit Chirurgo cuidam ſui morbi curationem. Deſperatus hinc iſte celeberrimum Aquæ practicantem D. Auguſtinum Garſia vocavit in præſidium. Aquam hic, & ore potandam, & parti applicandam proponit. Quid accidit, quæſo audiatis; Scrotum omnino decidit putridum, remanentibus ſolis teſtibus ſuis in fibrillis appenſis, & omninò diſcoopertis; ab uſu Aquæ celeberrimus practicans non recedit, expectans ut ſupra diximus à putrefactione vitam, paucis deinde diebus, novam quamdam ſuperimpoſuit pelliculæ alterius veſtem ab arte adjuvata natura, ab Aqua ſcilicet; unde ſanus ille factus non poſt multum temporis omnium ſtupore, cum de impotentia dubitaſſent maſculum in lucem dedit filium. Poſſem hic tres ejuſdem Inſulæ Mulieres adducere, quæ longo ſterilitatis flagello vexatæ filiorum cupidæ Aquam Frigidam juſſu

juſſu ejuſdem practicantis potarunt, & duo, dum hac in Inſula degebat Practicans gravidæ jam erant, alteraque filium edidit maſculum valdè lætabunda.

OBSERVATIO XVI.

S*Or. Ioſepha Philippa in Venerabili Monaſterio Sanctæ Mariæ omnium Gratiarum, dicto alli Divisi*, Tumorem cum dolore habebat in pede ſupra ſaphenam, à quo trium ſpatio annorum nimium fuerat vexata, & tot medicaminibus applicitis, dirior evaſerat irretitus dolor. Tandèm à Medicis derelicta quotidiè illaqueata patiens Monialis vivebat; innotuit deindè hic Panormi Frigidæ Aquæ, & Nivis uſus: nivem ipſa accepit, et contuſam dolenti tumori ſuperimpoſuit, expectans ut finem videret futuri neſcia; ſed oh Miraculum! ab illo nivis frigore aucto fluidorum calore, excitatoque ſpiritu, motus ſuſcitatur, tumor indè magis elevatur, aperitur, & ferrea acutæ lanceolæ ſummitas, quæ ab ineſperto, ſed callido Barbitonſore dum ſanguinem ex ſaphena extrahere volebat, rupta intra venam relicta fuerat, foris illicò proſiliit, ſumma ipſius patientis pro recuperata ſanitate, & Monialium omnium lætitia, ſimul, & admi-

ratione, omnes enim erant facti iſtius, ruptæ ſcilicet lanceolæ, inſciæ, quid plura? Philoſophus quiſquis es veritatem negare non audeas.

OBSERVATIO XVII.

S*Oror Petra Smeragda ejuſdem Venerabilis Monaſterii Filia* Vertigine tam dira cruciata, ut neque Divinum potens erat recitare Officium, & ad munus quodlibet inepta, Aquam Frigidam per multos bibit dies, & quia validam patiebatur lienis obſtructionem, unde ad cachexiam properabat, linteola aqua frigida madefacta lieni appoſuit, & ad perfectæ curationis metam pervenit, ſtatim à primis Aquæ doſibus ſemiliberum à vertigine probans caput, ità ut ad Chorum ire liberè omnium admiratione potuit, & poſt duos circiter annos iterum recidivante morbo, iterum Aquæ Frigidæ armis hoſtem victrix expugnavit, me teſte, qui Aquam hoc anno patienti Moniali præſcripſi. Alias haberem ejuſdem Venerabilis Monaſterii Moniales hac methodo curatas, ſed brevitatis gratia has curioſo exploratori relinquo.

OB-

OBSERVATIO XVIII.

REverendus Pater *Ioſeph Santo Canale Societatis Ieſu Panormi*, in Collegio Domus Profeſſæ dicto teſte ordinario Domus ejuſdem Medico D. D. Carmelo Pulchrinotto, qui etiam nunc fama, & Doctrina nemini ſecundus, Arcanam Aquæ virtutem ſedulus explorator, veræque Philoſophiæ Magiſter, & Doctor elucidare non timet. Pater hic, ut dixi, magna oppreſſus reſpirandi difficultate, motus laſſitudine, tuſſi vehementi, & humida, cum firma Hydropis pulmonis ſuſpicione, ità ut ad lectum ire maximè timeret ob metum ſuffocationis, poſt tot fruſtrà medicamina, tandem multa Aquæ Frigidæ quantitate, ex noſtri practicantis conſilio epota, & nive pectori appoſita amiſſam corporis recuperavit quietem, ità ut liberè Panormo Romam ire (negotii neſcio cujus cauſa) liberè potuit, ut omnes veritatis teſtes qui eum ab Alma Urbe Panormum redeuntem viderunt, & vident, fatentur.

OBSERVATIO XIX.

REverendus Pater *Stanislaus Carolli S. I.* perfectè melancholicus, & delirus, quid

ad

ad morbum iſtum debellandum præſidii à pharmaceutica non quæſivit? Sed in caſſum; morbo tandem pertinaciter eum vexante, Aquæ Frigidæ armis manum dedit, & habito magno atrabilaris humoris vomitu, ejuſdemque ſeceſſu, fluentibus, nec non ſua ſponte hemorroidibus, triumphum ſanus cecinit, & victoriam, teſte ejuſdem Collegii ſupradicto Medico Ordinario.

OBSERVATIO XX.

A*Lter Pater, cujus nomen coactè taceo Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerei Panormi* Dolore vexatus capitis atrociſſimo, ità ut occipitium ipſi contrahi fortiter videretur cum ſuſpectu malignantis febris, ſolo uſu frigidæ paucorum ſpatio dierum liber evaſit.

Hæc jam dicta ſufficiant, plura qui deſiderat libros evolvat, experientiæ oraculum adeat, et certè certior veritatis factus laudes Deo perſolvat, et valeat.

L A U S D E O.

Si quid erroris in hoc parvulo Volumine Lector Benevole leges, tuæ ſagacitati corrigendum relinquo, et gratias ago.